AZ.
E III

Digitized by Google

CONC. NAZ.
PROV. DIOC.
162
B
23.
BIB. NAZ. NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
B
23
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Pag: 126. laudat Synodus Epi de Gonzaga.

In fine vi è la Bolla Innocenziana non
intiera ==

Digitized by Google

Digitized by Google


CONSTITVTIONES
IN DIOECESANA
SYNODO

AB ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOM.

F. D. MATTHÆO
A SANCTO STEPHANO

Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato, totius Ord. S. Franciſci ex-Miniſtro Generali, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Cephaludenſi, Regioque Conſiliario, pro ſuis Vrbis, & Diœceſis Ovibus editæ.

ANNO DOMINI M. DCC. VI.



PANORMI Apud Didacum Bua. M.DCC.VII.

Impr. Sidoti V. G. *Impr. de Vgo Præſ.*

Digitized by Google

Digitized by Google

NOS FRATER DON

MATTHÆUS

A SANCTO STEPHANO

Sacræ Theologiæ Lector Jubilatus, totius Ord. S. Franciſci ex-Miniſter Generalis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Cephaludenſis, Regiuſque Conſiliarius.

Omnibus, & ſingulis Dignitatibus, Canonicis, Abbatibus, Prioribus, Beneficiatis, Vicariis, Curatis, univerſiſq; noſtræ iuriſdictioni ſubiectis ſalutem in Dño Salvatore.

PASTORIS nomen, cum munere non immeritò Epiſcopis dum excogitamus appoſitum, illud idem, pro animarum laborioſa cura, jugibus animi ſtimulis angimur penſitare, quod pro ovium nititur pervigil Paſtor expendere: Hoc non modo Protopaſtor ipſe Chriſtus Dominus præcipuum commendavit,

imò Apoſtolorum Principi, ter paſce, dicens, oves meas, trina amoris perquiſitione præeunte, paſtoralem profeſſionem trinі dilectionis aſſenſus myſterio ſolidatam, in ovibus triplici quoque amore gubernandis peculiariùs verſandam propoſuit, triplexq; docuit pro grege commiſſo ſtudium inſumi; ut ſuas nimirùm bonus Paſtor agnoſcat oves, eas ad paſcua ducat, & pro earum tuitione animam ponat. Hæc utique ab inita noſtra paſtorali ſollicitudine adimplere non deſtitimus, oves nempè proprias viſendo cognoſcere: ſalutaribus monitis, & edictis, per abrupta errantes avocando, ad reficientia paſcua ducere; & pro eis neutiquam parcendo labori, anxiam gerentes cuſtodiam, truces ipſis feras pertimeſcentes, animam ponere non pigreſcimus; Verùm enim quia ſauciatas etiam, aut brumæ, vel æſtus diſcriminibus objacentes, incolumes amantis paſtoris eſt reddere, & humeris ad caulam portitare; ad hoc itidem ſalubria nitimur adhibere remedia. Hanc quippe Synodum (ne amplius in methaphora remoremur) congregare ſtatuimus, non ut nova oſtentemus, vel aſtruamus decreta, præter ea, quæ debent Sacris Canonibus, &

Con-

Conciliis cohærentia ſanciri; cum etiam proximioris Synodi per Illuſtriſs. Fr. Don Matthæum de Orlando diſertiſſimè celebratæ, nondum ſonitus (ut ita dicamus) ex auribus deceſſiſſe videatur; ſed ut nonnullis malis, quorum periculum fecimus, congruenter occurramus,& multos item à ſcrupulorum retibus extrahamus; Cum enim plures in editis ſanctionibus,& edictis latarum excommunicationum, & ſuſpenſionum pœnæ irrogatæ comperiantur, aliquos deprehendimus, vel eas dediſcentes incurrere, vel graviter ferentes, nihili pendere muginantes, & ultrò, vel incuria vinciri, quod in Sacramentorum agendis non modici diſcriminis eſſet, quemadmodum non raròn nos quorundam timoratorum, & hæſitantium preſſit inſtantia; Attamen, non quia eas relaxare intendimus, ſed ipſas, & ubi fas fuerit, majores declarandas noſtro arbitratui reſervare. Proinde ſi leges fruſtratim conduntur, niſi ad hoc opus conſtituti eas ſtudeant efficaciter ſervari; Ad vos verba vertimus Reverendi Vicarii, & quibus munus eſt, Præfecti, ad hanc Synodum convocati, noſtri in dignitate coadjutores, & in amore filii cariſſimi, exhortantes

tantes, & obſecrantes in Domino, ſimulq; conſcientiam onerantes, ut exequi neminem pigeat, quæ in Dei cultum, & animarum ſalutem impendenda præſcribuntur; illud cariùs indicentes, ut quæ ad mores corrigendos ſpectant,& ſcandala diſpellenda, exemplis potiùs, quàm verbis animis ingeratis; Nos enim,ſicut & alii quicumque fuerint in ſortemDomini vocati,fundamenta ſumus ad Chriſtiani Orbis ædificium addicta, dum credentium multitudinem verbo inſtruere,exemplo conformare, & cunctis opere opem ferre, noſtri primi juris eſſe non ambigimus: Nos, inquam, ipſi lapides ſumus, qui virtutum ſcalpris perquadrati, probiſque moribus pro cæmento connexi, ſuper Petri petram Eccleſiæ fundamentalem viciſſim componimur,& ejuſdem muros attollimus, quibus fidelis populus innitatur, ſuperædificati quidem ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu; Aſt ſi lapides iſti ſcabri abſque morum, & exemplaris vitæ compoſitione ad ſtructuram aptantur, quid erigi judicabimus, niſi ruderum congeriem, vel parietem illum abſque temperamento linitum, quem caſurum

Epheſ. 2.

Cap.13.

ſurum

ſurum per Ezechielem Dominus comminatur? Huic ſanè quicumque inniti conſiderent, tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ, ut David ait, pari lapſu corruerent; & ecce Jeremiæ queſtus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarii in capite omnium viarum: quod deplorans Divus Bernardus in ſua Synodo ad Paſtores ait: lapides Sanctuarii, ideſt Sacerdotes, ſunt in capitibus, ideſt in introitu latarum viarum, docent enim populos per prava exempla ingredi vias latas, quæ ducunt ad mortem. Cavete itaque mei dilectiſſimi; ne de vobis hæc verba fiant: Vigilate tamquam pro veſtris, & aliorum animabus rationem reddituri; quidquid enim vos mali feceritis, id ſibi licitum putant laici, & ſine erubeſcentia patrandum. Veſtram dignitatem dijudicate, & has perbreves, quas exhibemus Conſtitutiones, ne contemnatis, ſed præ oculis habere, & ad Divinæ Majeſtatis obſequium, veſtrum, populique profectum, & ad noſtrum ſperatum ſolarium, ſervare ſatagatis. Valete.

Pſal.61.
Thren.4.

ALLO-

ALLOCUTIO

PRIMA

ILLUSTRISSIMI DOMINI

Ad Synodum.

Ex Pont. Rom.

VEnerabiles Conſacerdotes, & Fratres noſtri cariſſimi, præmiſſis Deo præcibus, oportet, ut ea, quæ de Divinis Officiis, vel Sacris Ordinibus, aut etiam de veſtris moribus, & neceſſitatibus Eccleſiaſticis à nobis conferenda ſunt; cum omni charitate & benignitate unuſquiſque veſtrum ſuſcipiat, ſummaque reverentia, quantum valet, Domino adjuvante, percipiat; & ſi quæ digna ſunt emendatione, omni devotione, & humilitate fideliter ſtudeat emendare; Si autem alicui fortè quod dicetur, vel agetur diſpliceat, palàm coram omnibus conferat.

Infallibiliter quod cupimus aſſequemur, ſi triumphaverit in nobis charitas, & coeuntium in unum, animorum non ſit diviſio. Abſint ab hac Sacroſancta Synodo diſſidia, elongentur iurgia, paſſiones ſileant: nil ſuis

Sata-

Satanas artibus interponat : & nec diſcordans contentio ad ſubverſionem Iuſtitiæ locum inveniat; neque iterum in perquirenda veritate, vigor noſtri Ordinis, vel ſolicitudo tepeſcat.

Paſſibus ergo intentæ ſolicitudinis ſpiritu ferventes, ſpe gaudentes, orationi ſemper inſtantes, moveamur, omnes cauſam ſuam Domino commendantes, à quo omne datum optimum expectamus, & qui inhabitare nos faciat unanimes in Domo. Benedicamus Dominum Cæli, & coram omnibus viventibus confiteamur ei, qui nobis, in ſui obſequium congregatis, det velle, & perficere pro bona voluntate, quæ recta fuerint, in medioque noſtrum iuxta infallibilia promiſſa diſcurrens, mirabiliter nos à Montibus æternis illuminet; Nec patiatur nos pravis affectibus falli, aut mala voluntate perverti. Ad hæc Filii dilectiſſimi cum adveneritis, ut Deo in hac maxima actione in hoc monte ſancto immoletis, benedictum ſit iter veſtrum, benedictæ cordis veſtri anxietates, benedicta incommoda, quæ pertuliſtis. Benedicti vos à Domino, cuius gratiæ vos commendo. Benedicti à Sanctiſſimo Salvatore noſtro Domino Ieſu Chriſto, cuius vos directioni committo. Benedicti à me Servo, &

Paſtore veſtro, qui à prima die, qua ingreſſus ſum, non iudicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi voſmetipſos in Chriſto. Aſſideat in medio noſtrum Dominus Ieſus expanſis manibus ſuperna benedictione defluens; Vxorem ſuam quam in altiſſima charitate ſibi copulavit, in ſuæ lateribus Domus abundantem, Filioſque ſuos, ſicut olivarum novellas in ſuæ circuitu menſæ complectens; hilari voce ſingulis dicat.
Benedicat vos Divina Majeſtas Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

IN

Digitized by Google

IN NOMINE

SANCTÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

Nos F. D. MATTHAEUS à S. Stephano Lector Jubilatus totius Ord. S. Franciſci ex-Miniſter Generalis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Cephaludenſis, Regiuſque Conſiliarius.

Omnibus, & ſingulis Eccleſiaſticis, Populiſque noſtræ iurisdictioni ſubiectis ſalutem in Domino Salvatore.

PLenaria auctoritate qua fungimur, Sacrorum Canonum, & præcipuè Sacr. Trid. Syn., aliorumq; Summorum Pontificum decretis, & Sacrarum Congregationum declarationibus inhærentes, ſequentes Conſtitutiones ad majorem Sanctiſſimi

Digitized by Google

SALVATORIS noſtri Numinis tutelaris, & Beatiſſimæ Virginis Matris, ſine originali labe conceptæ, gloriam, & laudem ſempiternam: ad Divini cultus incrementum, Sacramentorũ decentem pertractationem, Cleri reformationem, & animarum noſtræ curæ concreditarum ędificationem, plena attentione decretas, præſenti Synodo indicimus, & publicamus.

CON-

CONSTITUTIONUM

CEPHALUDENSIS

ECCLESIAE IN DIOECESANA SYNODO.

PARS PRIMA.

DE FIDEI PROFESSIONE & à quibus emittenda.

CAP. I.

A Catholica Fide, cujus finem ſalutem animarum eſſe præmonuit Princeps Apoſtolorũ, *1.Pet.1.* primordia ſtatuimus, qua prævia dirigente, noſtros Synodales greſſus perficere poſſimus abſque lapſu; per fidem enim ambulamus, ait Doctor gentium: *2.Cor.5.* & ſicut ei firmiter adhærendum ob ſum-

Digitized by Google

ſummam auctoritatem Dei revelantis, ſic eam ore promendam præcipimus formulâ in Bulla fel. record. Pij Papæ IV. præſcripta.

Primo. Ab omnibus, qui Dignitates, & Canonicatus obtinuerint, & Eccleſiaſtica beneficia Curata, infra bimeſtre ſaltem à die poſſeſſionis, qua prætermiſſa, poſſeſſionem ſibi noverint, quò ad fructus faciendos, minimè ſuffragari, ut ſtatuit Concil. Trid. ſeſs. 24. de ref. cap. 12. & talem profeſſionem coram Nobis, vel noſtro Vicario Generali, aut Miniſtro à nobis deputando, & Sede-vacante coram Vicario Capitulari; ſed à dictis Dignitatibus, & Canonicis etiam coram Capitulo non ignorent emittendam.

Secundo. Ab omnibus Vicariis Foraneis noſtræ Diœceſis, Ab aſſignatis Cappellanis, & ad munus Cōcionatorum admiſſis, etiam ſi Regulares fuerint (ſi eam ſaltem coram Superioribus ſuis non emiſerint) A lectoribus publicis, vel privatis Sacræ Theologiæ, A ludi Magiſtris (poſt noſtram approbationem literis expreſſam) aut artes liberales docentibus.

Seſs. 25. de ref. c. 2.

Itidem à promovendis ad doctoratus lauream, etiam ſi Medicinæ ſit, vel Chirurgiæ,

& ab

& ab omnibus tandem, quibus de eorum nomine, & titulo providebitur, quæ in ipſamet Pii IV. Bulla præſcribuntur, ſub pœnis ibidem inflictis, & noſtro arbitrio infligengendis, cujus, ut omnibus innoteſcat, quæ ſequitur eſt forma.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Rom. Eccleſia vtitur, videlicet. Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in vnum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quē omnia facta sūt. Qui Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria, judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis.

Et

Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta novæ Legis, à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre. Ex his Baptiſmum, Confirmationem, &

Or-

Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe; receptoſque, & approbatos Eccleſiæ Catholicę ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo, verum, & proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, unà cum Anima, & Divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis, in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini, in Sanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia conſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atq; integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari, ſimiliter, & Sanctos unà cnm Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe vene-

randas. Firmiſſimè aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparę ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas eſſe, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe; illarumque vſum chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. S. Cathol. & Apoſtol. Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtrã agnoſco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; ſimul contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque, ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathemizatas; Ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc verò Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo; eamdemque integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri,

fiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, &. prædicari, quantum in me erit curaturum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

DE DOCTRINA CHRISTIANA.

C A P. II.

Fidem ex auditu ortum, & ex operibus alimoniam vitalem haurire, indixerunt Paulus, & Iacobus, ut ad ſalutem proficiat animarum; ſed *quomodo audient?* ſequitur Apoſtolus, certè vel non concipitur ſine docente, vel ſi aliàs concepta, peribit: ad hoc miſſi olim fuere diſcipuli Domini, ad hoc nunc ordinati ſunt Sacerdotes ſalutis inſtrumenta, quos Dei adjutores vocat idem Apoſtolus, & ſanè, ſi quid credendum, ſperandum, & agendum neſciendo, pereunt animæ; earum pretium, quod fuit effuſus Chriſti Domini ſanguis, à quibus fuit cura neglecta in judicio requiretur. Quapropter diſtrictè præcipimus omnibus noſtris Vicariis foraneis, & quibus imminet animarum cura, ut in ſuis Civitatibus,

Ad Rom. 10.

1. Cor. 3.

 vel

Seſs.5. de ref.c.2. vel oppidis, & ruribus, Sacroſancti Concilii Tridentini ſanctiones adimplere curent, & nullo prætextu negligere.

Seſs. 24. de ref.matr. c.4. Omnibus feſtivis, vel ſaltem Dominicis diebus imperitos adultos rudimenta Fidei, & quæ neceſſaria neceſſitate medii ſunt ad ſalutem edoceant, myſterium nempè Sanctiſſimæ Trinitatis, Myſteria Incarnationis Verbi Divini, & Paſſionis ejuſdem, Deum quoque eſſe juſtum bonorum operum remuneratorem, malorumque punitorem, & hæc explicita fide credenda, nec ea ſemel *2. Martii 1679.* credidiſſe prodeſt, ut ab Innocentio XI. ſancitum non ignoratur: Decalogum item, & Eccleſiæ præcepta: Sacramenta novę Legis: & Orationem Dominicalem, quæ omnia ad neceſſarium Theologalium virtutum exercitium addicuntur; & hæc vulgari idiomate mentes rudium imbuant, & verbis captu facilioribus. Quamobrem docentes hortamur Cardinalis Bellarmini inſtructionibus, utpotè clarioribus, inhęrere.

Hinc iiſdem noſtris Vicariis, & Curatis perutiliorem in hoc tam ſalutari pietatis munere modum definimus, ut ſi minùs facilè noverint, & commodum, rudimenta *Loc. Sup. cit.* fidei inter miſſarum ſolemnia, ut Tridentinum

num præſcribit, explanare (quod in ruralibus Eccleſiis nunquam omittatur) id peragant Veſpere, vel dato ſigno, ubi puſillus eſt grex; vel, ubi populus copioſior extat, duo, vel quatuor Clerici circumeant prævio Crucis vexillo Campanulis; & Cantionibus ſpiritualibus, Parentes excitando ad filios mittendum, & invehendo, pueros & imperitos congregent ad majorem Eccleſiam, vel ad plures, (ubi populus largior) ibique omni charitate inſtruantur, & ſtudio. Quamobrem nullus prætermittatur modus ad efficaciùs inſtruendum; vel pueros idoneos faciant ſeſe alternis interrogationibus excolere, eos ſacris imaginibus, vel aliis præmiis alliciendo, aut aliter, ut pia ſalutis animarum ſollicitudo dictabit, majorem ergà hebetiores diligentiam impertientes, ad majora præmia per majores labores perventuri.

Propterea prædicti Vicarii, ad hoc opus tàm ſalutare minùs oneroſè gerendum, tres aut quatuor Sacerdotes addicent; & totidem Clericos; quod ſi neglexerint, vel renuerint, de Sacerdotibus, poſt primam, & alteram correctionem certiores nos faciant, qui eos pœnæ carceris, vel aliter, ſi pertina-

ces,

ces, declaramus obnoxios; Clericos verò ad ſuum arbitrium in carceribus mancipatos detineant; ſcientes non eſſe ad ulteriores ordines promovendos, niſi per literas teſtimoniales, Vicarii Foranei jurejurando fulcitas, hoc munus ſaltem per annum exercuiſſe conſtiterit, ut unum ex requiſitis, cui nullatenus indulgendum.

Quinimò ſtatuimus nullum ad confeſſiones audiendas in poſterum admittendū, quin priùs,per literas Vicarii localis juratas, per biennium hoc pium inſtitutum exercuiſſe teſtatum habuerimus.

Parochi, ſeù Cappellani Sponſos in facie Eccleſiæ conjungere non audeant, ſub pœna culpæ mortalis,cum de re gravi agatur, niſi eos noverint fidei rudimentis ſufficienter inſtructos: & Confeſſarii omnes, ſive Regulares, ſive ſæculares ejuſdem pœnæ non cenſeantur immunes, ſi abſolutos dimittant hujuſmodi pœnitentes, rudimenta ſalutis indoctos. Quod ſi in evidenti vitæ diſcrimine acciderit talium confeſſiones audire,breviter quoad poſſunt inſtruant, & abſolvant.

Sub Leo X. Ludi-magiſtri Concil. Later. Decretum, quod ſemel ſaltem in hebdomada eos in

Scho-

Scholis ad Chriſti doctrinam explicandam cogit, exequantur: & Concionatores in ſuis quadrageſimalibus, Patres familias, Dominos ſervorum, ſpirituales Compatres, & alios quocumque modo aliorum curã habentes, crebrò exacuent, ut ad ſuos ſubditos edocendum obligatos.

Poſtremò noſtri Vicarii, & alii ut ſupra, in nihilo ex his prætereundum, vel conniuendum exiſtimẽt, ſi, præter divinam indignationem, acres pœnas noſtro arbitrio ſubire noluerint, tot quoque ſpirituales Dei Summi, & Summorum Pontificum elargitiones, & noſtram pariter benemerentiam amittere.

DE SACRIS CONCIONATORIBVS.

C A P. III.

ILlud *Divinorum diviniſſimum*: Dioniſii Areopagitæ, quod eſt cum Deo ad animum ſalutem cooperari, primarius Concionatorum finis eſſe debet, hoc deficiente, inutiliter, imò temerè onus prædicandi præſumitur: ad hanc ſalutem effunditur Verbum Dei, quod licet in ſaxea criminoſorum corda,

Digitized by Google

corda, ſuâ virtute liquefaciat ea; ſic ergo illud Concionator effundat in ægras concurrentes animas, ut in fine poſſit illud Pſalmiſtæ de eo dici: *miſit Verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Pſal. 106.

Tales igitur idoneos, & à nobis approbatos decernimus in tota noſtra Diœceſi per Adventum ſaltem, & Quadrageſimam, deſignare, ut verbo, & exemplo proficiant, non ſibi plauſus intendentes aſciſcere, ſed in auditorum corda verbi Divini ſemen ad fructificandum inſerere.

Neminem, quamvis regularem, & exemptum noſtri Vicarii locales ad concionandum admittant, abſque noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis licentia (quæ gratis dabitur) & ſi in Eccleſiis ſuorum Ordinum ipſis prædicare placuerit, id nequeant, niſi prævia ſuorum Superiorum facultate, à nobis benedictionem accipiant, juxta Conſtitutionem Clementis X. quæ incipit, *Superna.*

Concionatores à nobis pro Monialibus approbatos, prohibet Sac. Rit. Congr. cum eis, ſub quovis etiam ſpirituali prætextu, privatos immiſcere ſermones. 21. *Martii* 1678.

Nec ante ſolis ortum, neque noctu con-

ciones

ciones fiant, præter illam Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ubi conſuetudo perſeverat, aliam inter ſolemnia Nativitatis ejuſdem.

Inter viros, & mulieres, quoad poterit, ſedilia per tabulatum, vel per telam interiorem ſecernantur, & in reliquis noſtrorum prædeceſſorum Synodalia monita Cõcionatores minimè contemnant.

DE FESTORVM *obſervantia.*

CAP. IV.

INfatigabilis univerſi Creator, qui verbo virtutis ſuæ firmavit omnia, non ſine magno, & myſtico arcano poſt ſex dierum laborem ſeptimo die requievit ab opere; & ſanè, ut aliquos dignoſcamus eſſe dies, quos feſtos nuncupamus, quibus eſt ab opere ſervili quieſcendum: & hoc, ut ſummo bonorum omnium largitori honorem, & debitas gratias exſolvamus, propriæ ſaluti remedia, Sacramentis, Sacrificiis, Orationibus, aliiſque ſpiritualibus exercitiis adhibeamus, & ab operibus, ad peccata, & rela-

Digitized by Google

xationes ducentibus, abſtineamus; Hæc eſt enim feſtorum ſanctificatio, quam Dominus præcipit, quorum violatores quam maximis ultionibus, & inflictis pœnis compeſcere voluerit, memores nos ſacra Biblia faciũt, id perſtans præſentibus calamitatibus comminari. Quare noſtris Vicariis foraneis, Curatis, & ruralibus Cappellanis præcipimus, ut omnibus diebus Dominicis feſta ab univerſali Eccleſia inſtituta, & per Illuſtriſſimum de Conzaga in ſua Synodo deſcripta, quæ infra hebdomadam incidunt, prænuntiari inter miſſarum ſolemnia curent: ſimiliter & jejunia pro Vigiliis, & temporibus occurrentia, pro quibus laudamus ſignum, quod præcedenti ſerò datur, ne populos ignorantia vincat, non immemores, & feſti, & jejunii diem à præcedentis noctis dimidio, uſque ad ſubſequentis, extendi.

Nullo prætextu, niſi probatæ neceſſitatis, vel alterius rationabilis causæ noſtri Vicarii facultatem impertiant exercendi in diebus prædictis opera ſervilia, ſi in lethalem culpam incurrere diſſentiunt, & ſi, ſtante neceſſitate, licebit, eleemoſinam feſtuariis elargiri permittant, ut habetur alibi præſcri-

ptum

ptum, neque audeant feſtuarii,vel alii hanc temerè licentiam concedere, quæ ſolùm nobis privativè reſervatur, & noſtris Vicariis, ſub pœna carceris noſtro, & dictorum Vicariorum localium arbitrio irroganda; cum eorum munus tantum ſit invigilare, fiſcalizare, tranſgreſſores Superioribus localibus denũciare, & pœnas ab illis per nos, vel noſtros Vicarios decernendas, exigere. Hinc multi imperiti erroneam cõſcientiam deponant, qua falsò exiſtimant poſſe, perſoluta feſtuariis eleemoſina, ſine culpa mortali laborare; tales enim feſtuarii ſolùm pœnis incurſis, vel incurrendis valent tali eleemoſina indulgere, (ſi denuntiare renitentur) non diſpenſare præcepto.

Expreſsè prohibemus circulatores, alioſque utriuſque ſexus Hiſtriones diebus feſtis ante Veſperas, nec unquam in Quadrageſima, vel propè Eccleſias publica exhibere ſpectacula, vel quovis prætextu tabulata conſcẽdere, & conventicula cogere, ſub pœna excommunicationis infligenda. Quicumque Artifices, Negotiatores, Ludi-magiſtri, cujuslibet artis profeſſores, & Curiæ Miniſtri, Apothecas, officinas, & bancas clauſas habeant, ſub pœna præfixa: & in apothecis

thecis quod emi,& vendi licet, victui neceſſarium, per portellum fiat ,& portæ, uſque ad celebratam ſolemnem Miſſam, ſemiclausæ teneantur.

DE SACROSANCTO SACRIFICIO Miſſæ.

C A P. V.

SAcroſanctum Miſsæ Sacrificium, cui in feſtorum obſervantia prædicta attentè, & devotè adeſſe par fidelibus univerſis notum eſt imminere præceptum; in quo cum verò Chriſti Domini Corpore, & Sanguine oblato, non ſolùm Majeſtati Divinæ debitus honor, & gratiarum actiones, ſed hoſtia placationis, & propitiationis offertur, quanta reverentia, humilitate, & puritate ſit quotidie perficiendum, ſatis oculis, & cordibus profert Sacroſancta Tridentina Synodus. Seſſione 22. Sacerdotes igitur, ad hoc acceſſuri, à conſcientiæ ſordibus in expiationis lavacro humili cõfeſſione purificati(quod ſacris veſtibus indutis fieri prohibetur à Sacr:Rit.Congr.)cum ſilẽte devotione præparentur in loco Sacriſtiæ decenti, & ne-

nemo, quocumque fulgeat gradu, extra Sacriſtiam, abſque neceſſitate, ad majorem pompam ſacris veſtibus paretur, ſub pœna ſuſpenſionis per menſem: ubi interturbantes clamores, inordinati congreſſus, & collocutiones omninò arceantur, & ſi quæ occurrerint, Sacriſtæ, ſub duarum uncearum mulcta, nobis hujuſmodi nugaces denuncient, pœnis ad noſtrum arbitrium puniendos.

Sacerdotes novi ad primam Miſſam celebrandam non adeant, abſque prævio Magiſtri Cœremoniarum examine, num rubricas, & cœremonias perfectè didicerint, ſi ſuſpendi renuunt; quas quidem caveant (ſicut & omnes alii celebrantes) culpabili celeritate dediſcere, ſciantque, quod tempus minùs quam tertiam horæ partem in Miſsæ celebratione impendentibus Alexan. Papa VIII. pœnas non leves inflixit.

Nemo, quavis dignitate præfulgeat, anulum in ſacro peragendo teneat, ſi non patitur ejus valorem ad beneficium illius Altaris applicari, neque pileolum, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto, nec etiam quocumque prætextu abſque veſte talari, ſub pœna unceæ unius, piis operibus exhibenda; li-

citum

citùm habeant celebrare; quam quoque pœnam Sacriſtæ, vel Rectores id permittentes incurrent; itinerantibus tamen Vicariorum arbitrio concedatur.

Exteros quoſcumque celebrare non permittant Sacriſtæ, vel alii Eccleſiarum Præfecti, abſque noſtri Vicarii Generalis, & in Diœceſi Vicarii localis permiſſione, qui eos per literas dimiſſoriales, vel aliunde recognoſcant, ſub pœna prædicta, & ſi qui ſint latino ritu non utentes, præter literas teſtimoniales ſuorum ſuperiorum, oſtendendas, Catholicæ fidei profeſſionem coram noſtro Vicario Generali emittant; niſi Romæ per legitima documenta pateat emiſiſſe.

Nec ante Auroram, nec poſt Meridiem ſine Apoſtolicæ ſedis indulto Miſsæ celebrentur, juxta declarationes Conc. Tridentini ſeſs. 22., excepta tantummodo ſolemni in nocte Nativitatis Dominicæ. Nec Feria V. in Cœna Domini aliæ celebrentur, ex
27. Sept. 1608 Decreto Sac. Rit. Congr. præter ſolemnem, pro reponendo in capſula, addictis cæremoniis, Venerabili, cujus clavis penès ipſum celebrantem extet, ſub pœna id permittentibus excommunicationis, juxta Sacræ Rit. Congregationis declarationes, pluries
edi-

editas,& potiſſimùm Anno 1632. & 1642.

In Miſſarum celebratione ſummoperè nos premit Sac. Conc. Trid. Decretum, ut ſedulò quæ avaritia, irreverentia, & ſuperſtitio, veræ pietatis falſa imitatrix induxit, prohibeamus. Propterea Decretis Urbani VIII. inhærentes, Primo Sacerdotibus, novas eleemoſinas pro Miſſis interdicimus accipere, niſi pro ante acceptis ſatisfecerint, (modò nō eis per benefactores licuerit tempus priùs addictum prorogare) vel modicum tempus pro tali ſatisfactione interſtiterit. *Seſ.22. de obſerv.& vitandis.* *Cum ſæpè 1625.*

Itidem omnibus Eccleſiarum, & locorum piorum Rectoribus, & adminiſtratoribus, ita & Sacerdotibus quibuſcumque prohibemus onera perpetua Miſſarum ſuſcipere, abſque noſtra, vel noſtri Vicarii Generalis licentia, literis obtenta, ſub pœna in ipſamet bulla inflicta, interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto, & amiſſionis talis beneficii, vel legati, & ſi hactenus ipſa receperint, infra duos menſes à præſentium publicatione veniam efflagitent. *Ut ſupra.*

In Sacriſtiis libri, aut tabellæ, vel ſchedæ, in quibus onera Miſſarum, quotidie celebrandarum, inſcribuntur, nullatenùs deficiant,

ficiant, & de celebratis Miſſis in controſcriptis veram fidem celebrantium ſubſcriptio faciat, ſub pœna cancellationis à Miſſarum Communitate, vel aliis ex noſtro arbitrio.

Pro reverentia tamen, ſicut fuit in noſtra Viſitatione proviſum, ut ſacræ veſtes, vaſa, & omnia ad celebrandum neceſſaria, eo, quod decet nitore præfulgeant, iterum, & ſtrictiùs, quibus eſt cura in Domino commendamus, & conſcientiam oneramus.

Poſtremò certum numerum Miſſarum, vel cum precibus à proprio ritu diverſis, aut cum certo numero candelarum præfixo, juxta Decretum Trid. citatum, & præcipuè Miſſas, quas dicunt, trium Regum, cum eleemoſinis oſtiatìm petulatis, ut ſuperſtitionem redolentes, abolemus, ſub pœnis regulariter irrogandis.

DE SACRIS RELIQVIIS, & Imaginibus.

CAP. VI.

ECcleſia militans, ſatis ęmula triumphantis, nō valens Sanctorum glorioſo perfrui conſeſſu, eorum imaginibus, & reli-

reliquiis, veluti ſacris pignoribus, & monimentis Prototiporum reparat abſentiam: & chriſtiana pietas, eas duliæ cultu non abſoluto, ſed relativo, ut decet, venerando, ſalubria ſubſidia pertrahit. Quapropter meminiſſe fideles indicimus, quidquid Sacra Tridentina Synodus de eorum cultu ſancivit. *Seſs. 25.*

Sacræ Imagines, devotionem potiùs avertentes, quàm excitantes, vel quia deformatæ, vel quia procaci venuſtate depictæ, à publica veneratione pellantur, & minùs liceat eorum imagines, qui non extant in Sanctorum numerum adſcripti, ubi ſacra peraguntur, exponi, inconſulta ſede Apoſtolica, ut Urbanus VIII. ſancivit. *Conſt. 37.*

Novæ item Sanctorum imagines, licèt decenter ornatæ, publico cultui non proferantur, quin priùs fuerint noſtra, vel noſtri Delegati benedictione ſuperornatæ: Cruces quoque ſuper Altaribus expoſitæ, Crucifixi Domini pingantur imagine, & ubi tales non extant, infra bimeſtre à præſentium publicatione perficiantur, ſub pœna, queis eſt cura, unceæ unius, ipſi Altari applicanda. *Cære.Epi. lib.2. c.2.*

Interdicimus imagines Sanctorum, alia-

que ſacra ſigna, præſertim Sanctæ Crucis, in publicis parietibus extra templa depingi, ſi adminus quatuor palmorum ſpatium à ſolo non intercipiatur, & ſi quæ fuerint antehàc, illicò deleantur; ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

Sacræ Reliquiæ in thecis cõgruentibus, vel argenteis, vel ſaltem inauratis ligneis, (quæ, ſi carioſę fuerint, vel emarginatæ renoventur) per chriſtallum aptæ perſpectu, in capſulis ſuper Altari, vel in Sacriſtiæ loco decenti, ſeris cuſtoditæ ſerventur, & claves apud Præfectũ exiſtant, & ſi quid minus extat, reficiatur: & nemo auſit, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, nobis reſervata, eas, vel earum particulas donare, alienare, vel furtim eripere: quas etiam à non conſtituto in ſacris tangi prohibemus.

Fidelium venerationi, ſex luminibus ſaltem accenſis, ſuper Altari proferantur, decenter aſſociatæ, quæ ſi ex inſignioribus fuerint, ardenti coram eis ſemper lampade collocentur.

Agnos cereos pingentes, vel inaurantes, & id fieri mandantes excommunicationi ſubjiciuntur, juxta Gregorii XIII Decretũ.

Ima-

Imagines cereæ, vel argenteæ ex voto ſacris Imaginibus, vel altari oblatæ, nunquam exinde pendulæ removeantur.

Noſtri Vicarii foranei curent, infra tres menſes ab hujus Synodi publicatione, catalogum reliquiarum ſuæ Civitatis, vel Terræ, legitimo argumento probatarum, nobis tranſmittendum; ſub pœna noſtro arbitrio inferenda: & ſi novæ advenerint Sanctorum reliquiæ, eas ubique ſacrorum locorum in publicum prodire prohibetur, abſque noſtra (quæ gratis fit) recognitione, & approbatione.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS.

C A P. VII.

D*Omus mea domus Orationis vocabitur*: Hiſce Eſaiæ verbis, Divinus ille Zelotes templi profanatores, arrecto animo, elata voce, & in pugno flagellis, opprobravit, vendentes; & ementes profligans, menſaſque, & cathedras nummulariorum evertens; ex quo, quanta reverentia Eccleſiis ſit exhibenda, præmodum commendatur. Proptereà, ſicut in eis nihil coinquinatum, *Matt.* 21.

 ſed

ſed in omnibus munditiem , queis conve-
nit, imponimus oſtentare; ita quoſcumque
profanos actus, colloquia, laſcivas muſicas,
deambulationes,& ſtrepitus in eiſdem inter-
dicimus, Aeditimis, & Rectoribus indicen-
tes, ut talia committentes, abacto metu re-
dargutos, explodant: & contumaces ad nos,
vel noſtros Vicarios deferant, ut contra eos
pœnis Sacrorum Canonum rigoroſè proce-
datur: & qui temerè nimios tumultus , ho-
micidia, vel graves percuſſiones in eis, ſicut
& in aliis locis immunibus perpetrare non
horreſcunt , illicò in excommunicationem
latæ ſententiæ definitur incidiſſe.

Itidem pauperes, qui fidelium preces,im-
portunè divagantes, perturbant, eleemoſi-
nam flagitando, ad portas templi tranſmit-
tant, ut à piis fidelibus opportunius illis ſub-
veniatur, & hoc in obſervationem Conſti-
tutionis Pii V., denuò ab Innocentio XI.
& XII. commendatæ. Neque in ejus portis,
clauſtris, vel ſcalis contiguis aliquid vendi
permittatur mercium, vel comeſtibilium,
ſub pœna amiſſionis earum.

In Eccleſias introire cum armis, & cani-
bus venaticis, ibique verſari capite cooperto
pileolis albis, & infulis, ut pravus vanitatis,

& ir-

Digitized by Google

& irreverentiæ uſus, prætextu neceſſitatis, irrepſit, omninò prohibemus: Item, dū ſacra peraguntur, in Confeſſionalibus ſedere nemini liceat, præter Confeſſarios, aliiſque locis in proſpectu mulierū, unde multa ſcandala in domo Domini uſuvenit oriri: neque in eis circulos efficere, prout in plateis; pro quibus omnibus, contumacibus, & diſcolis pœnam excommunicationis comminamur.

Scenicas repręſentationes, etiam ſacras, in templis fieri, niſi per nos, vel noſtrum Vicarium generalem obtentis literis, liceat, ſub pœna uncearum decem id permittentibus inhibemus: in eis quoque, & ſi in Sacriſtiis ſit, vel Oratoriis, habitare, & dormire cum uxoribus, vel aliis mulieribus, prout in ſæcularibus ædibus, ſub eorum interdicto prohibemus, & ſi quæ ſint, ubi abuſus demi nequit, demoliri præcipimus; Verum enim feneſtræ, ex quibus aditus ad dicta ſacra loca pateat pro miſſis audiendis, muro pleno claudantur, ſub pœnis arbitrandis:

Eccleſiæ majores, & ubi fidelium concurſus, nec ante luceſcentem Auroram, nec poſt Angelicæ ſalutationis ſignum apertæ maneant; Privatæ autem, dum ſacra ſolummodo perſolvuntur, vel raro, devotionis

cauſa: Quæ verò ſunt extra mœnia, nequaquam, niſi in propriis ſolemnitatibus, ſub pœna id permittentibus regulariter infligenda; in quibus raubas ad cuſtodiam transferri, ſi parvam quantitatem exceſſerint, ſub pœna excommunicationis prohibemus, quemadmodum ſunt, triticum, hordeum, olivæ, & ſimilia, perinde, ac ſi horrea, & profana conſervatoria forent.

Aeditimi, qui quatuor in noſtra Cathedrali, Malangrerii vocantur, ex pervetuſto Gallorum vocabulo, *Marguillier*, quibus templi cuſtodia peculiariùs ineſt, caveant in eodem aliquod dedecens committere, nec quibuſpiam ibi dormire, comedere, cantare, vel aliter obſtrepere, & id genus irreverentiæ diuvè, noctuvè permittere, neq; abſque noſtri Vicarii Generalis placito, in ædibus campanilis alios pernoctare: cujus etiã aditum jugiter clauſum teneant, ne quid mali olfactus in ſacrum delubrum communicet, ubi nequis mejere auderet, vel aliud fędum efficere, ſub pœna excommunicationis, ſicut & in contiguo cæmeterio, & angulis, fuit nuper edictum. Portas de noctu non referent, & cum ad miniſtranda Sacramenta exire contigerit, eas interim, qui rema-

net, (ſicut & in die ſaltem unus obſtringitur adeſſe) repagulis obdat, ſub pœnis carcerum, & ſi quid ereptum fuerit, ſolvendi de proprio, & aliis regulariter arbitrandis.

In noſtra Cathedrali feſta particularia celebrare, vel Altaria ornare, ſine Præfecti aſſenſu, nemini liceat, cui correctio diſplicet.

Nova Templa, publica Oratoria, Capellas, vel Altaria, nemo audeat, non præhabita à nobis facultate, & ſufficienti dote recognita, ſub pœna excommunicationis, erigere: & ſi quæ ſint aliter erecta, interdicto ſubjicimus, ibique ſacra peragere præſumentes, noſtro arbitrio puniendos, Vicarii denuncient, ſub pœna ipſis unceiarum decem, piis operibus eroganda. Oratoria verò privata, aſſenſu Summi Pontificis conſtructa, cum privilegio celebrationis Miſſarum, à nobis, vel commiſſa perſona, quoad loci decentiam, recognoſcenda non eximũtur, & quiſque, ante noſtrum conceſſum, auſus fuerit illic celebrare, ipſo facto à divinis ſuſpendatur: in quibus profectò unica tantùm Miſſa eodem die, niſi aliter ex indulto Apoſtolico fuerit obtentum, celebrari conceditur; nulla tamen in ſolemnioribus feſtis ex Dec. Sac. Rit. Cong. nempè in 17. Nove. 1607.

die

die Nativitatis Domini,Epiphaniæ,Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes, Annunciationis, & Aſſumptionis B.M.V., SS.Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, & virtute præſentium,etiam in feſto Circumciſionis, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, Conceptionis B.M.V. & Sancti Joſeph, & hìc in Urbe, & circuitu SS. Salvatoris Transfigurati, ſub pœna ibi celebrantibus ſuſpenſionis inferendæ.

In omnibus Eccleſiarum Sacriſtiis loca apta, munda, & clavibus obſerata componantur pro ſacris veſtibus, & ſupellectilibus ſervãdis, de quibus,in inventario deſcriptis, Sacriſta fidejuſſoriam cautionem præſtet., hìc nobis, vel noſtro Vicario generali, & in Diœceſi Vicariis localibus acceptam.

CON-

CONSTITUTIONUM

CEPHALUDENSIS

ECCLESIAE IN DIOECESANA SYNODO.

PARS SECUNDA.

DE SACRAMENTORUM administratione.

CAP. I.

DE Sacramentis, quæ ſunt ſeptem à terebrato Chriſti latere gratiæ fluxus educti, & dè eorum valore, inſtitutorum nempè, ad ſpiritualem regenerationem, fortitudinem, alimentum, ſordium expiationem, munimen in extremo agone, & prolis legitimam propagationem: de eorum quoque requiſitis, quæ Res ſunt, Verba, & miniſtrorum Intentio, & de in eis conficiendis intentione, ſatis præteritæ Synodi, morales

inſtructiones, & Rituale Romanum exhibent dignoſcendum; itaut oneroſum id hic retexere cenſeatur; Id tamen denuò inſulcimus, ut Sancta ſanctè, reverenter, & decenter à noſtris Parochis, & Cappellanis pertractentur. Sanctè quidem, ut in gratia, ſi qui fortè lethaliter inquinati fuerint, confeſſionis, vel cōtritionis beneficio reſtituantur, ſi novum criminibus crimen aſtruere noluerint. Reverenter, & decenter, videlicet cum cotta, & ſtola, munditia in rebus, & cũ ritibus, & cæremoniis, in Rituali Romano (quod apud ſe jugiter teneant) immutabiliter appoſitis: & eamet intentione, qua Chriſtus Dominus inſtituit, & S. Romana Eccleſia intendit.

Nemo ſivè ſæcularis, ſivè regularis, ſub gravibus pœnis, reſpectivè inferendis, ſine noſtra, vel noſtri Vicarii Generalis licentia, excepto caſu neceſſitatis, & miniſtrorum abſentia, Sacramenta miniſtrare præſumat, & ubi in Diœceſi extat conſuetudo miniſtrari à Sacerdotibus per hebdomadam, Vicario locali ſtrictim imponimus, & inviolabiliter obſtringimus, ut ipſos priùs de rubricis Ritualis examinet, de modo informet, & id in praxi experiatur, præſertim in

con-

conferendo Baptiſmo, qui majorem præ aliis diligentiam exigit.

Quacumque hora ad conferenda Sacramenta vocati, ſeduli, & prompto animo ſuccurrant, ſub pœna gravi, à nobis infligenda, & majori, ſi eorum incuria quempiam ſine Sacramentorum ope mori contigerit.

Ad recipienda Sacramenta non admittantur accedentes cum armis, vel baculo, niſi, his depoſitis, arma induant humilitatis, & reverentiæ.

DE SACRAMENTO BAPTISMATIS.

C A P. II.

IN Sacramento Baptiſmatis ritè, decenter, ubi, quando, & quibus adminiſtrando, ſatis diffuſa in Rituali Romano monita perleguntur, quæ omnia, ut ibi præſcripta, ad amuſſim ſervanda cōſtituuntur; quia tamen in multis cautos nos experientia fecit, opere pretium duximus nonnulla hìc præciſiùs adjicere.

Illud in primis Parochi, & Cappellani curent, ſi quis infans domi, vel alibi pro in-

ſtanti neceſſitate baptizatus (quod, excepto tali caſu, nuſquam, etiam in magnatum laribus, permittitur) ad Eccleſiam pro explendis ſolemnitatibus advenerit, non incautè ſub conditione rebaptizetur (ut introductum alicubi novimus) niſi perquiſita priùs conditione, & peritia baptizantis; hac enim exploratione neglecta, vel ſpreta, non ſine maxima Sacramenti injuria, ſacrilegiũ incurritur, imò apud Doctores irregularitatis maculam ſuſcipiũt; conditionata namque forma, ubi dubium ſolummodo fuerit, Alex. Papæ auctoritate permittitur.

Cath.Rom. p.2. n.57.

Verum enimverò, quia aliquando periculum fecimus, Obſtetricium ignavia, in nõ conferendo inſimul cum materia formam, vel in eadem proferenda probabiliſſimam nullitatem, dum loco dicendi. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* (quæ eſt vera forma) *cum nomine Patris &c.* dixiſſe compertum eſt; vel non aliquatenùs abluendo (quod eſt etymon baptiſmi) ſed tantum pollice madefacto, Crucem in fronte ſignando, & ſimiles errores fuiſſe commiſſos: idcircò, ſi Sacerdotem, vel alium, in hoc callentem, vel ipſam Obſtetricem peritam id ritè peregiſſe, adhibita

dili-

diligentia, non conſtiterit, (cùm ſemper digniores per gradus ſint præferendi) tunc iterum, & audacter ſub conditione baptizetur, quod idem in expoſitis ſervetur, etiam cum ſchedula de ſuſcepto baptiſmate delatis, quia tunc nequit talis exploratio fieri.

Quamobrem noſtris Vicariis mandamus, ut infra duos menſes à Synodi hujus publicatione, Obſtetrices accerſiant, & alias, quandocumq; hoc munus proludere voluerint, & niſi benè examinatas, & inſtructas, nunquam dimittant ad tale munus exequendum (quod literis teſtimonialibus de idoneitate patebit) aliter eas pœnalibus injunctionibus, & carceribus arcebunt: itidem, ad quos ſpectat rudimenta fidei inſtruere, inſinuamus, ut plebem aliquando de requiſitis ad baptizandum imbuant, ut caſu eveniente, in re tanti momenti ſatagant quid agendum.

Sicut infantibus Sanctorum nomina imponi, ita unum tantum nomen eſſe præcipimus; cùm ad individualitatem perſonæ probandam, nonnulla quandoque ſequuta noxia comperiſſemus, & ubi parentum pietas, & uſus id moleſtè ferunt, Nomen, quod retineri intendunt, primum in libro deſcribatur, & in Indice ſolum.

Sub

Sub pœna excommunicationis latæ ſententiæ fictas Compaternitates interdicimus, quas nonnulli, conceptis fraudibus, contrahere diſſimulant, ut faciliùs hoc ficto colore illicita perpetrent.

DE SACRAMENTO *Confirmationis.*

CAP. III.

CVncta, quæ in præcedenti Baptiſmatis capite diſcernuntur, nihil reſpectivè in Confirmationis Sacramento diſcrepare aſſerimus; Honeſtatem tamen commendamus, qua mares à maribus, & fœminæ à fœminis ſuſcipiantur: rationis capaces accedant confirmandi, fidei rudimentis informati, in gratia, & abſque luxu.

Nihil pigeat eos, ad quos ſpectat, ante Confirmationem præſtandam, populos, qua reverentia, & intentione accedendum, præmonere, & quam virtutem & fortitudinem induant chriſmate delibuti.

In libro, ad hoc deſignato, nomina Confirmatorum, Parentum, & Patrinorum deſcribantur, apud Parochos ſervando, ad hoc

ut ſpiritualis cognationis in poſterū probatio prodeat, & ille deniatur abuſus, quo multi multos, præ turba, confirmandos inconſideratè ſuſcipiunt; ſed quiſque ſuum Patrinum præveniat.

DE SANCTISS: EUCHARISTIÆ Sacramento.

CAP. IV.

Etſi Sacramenta omnia gratiam cauſent, in mirabili tamen Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ipſamet gratia mens impiguatur, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Quam igitur animi arrectionem, cultum, & reverentiam exigat tale gratiæ alimentum, & gloriæ arrha, noſtri fideles excogitent, ne, improbitatum cœno permiſtum, in damnationis pabulum vertatur. Quapropter noſtros hortatus caveant aſpernari. *D. Th. in offic.*

Et primò. Sacerdotes ad erudiendos pueros, & rudes deſignati, Confeſſarii item, & quorum intereſt cura, non ſolùm eos à maculis læthalibus expiatos admittant ad tale Sacramentum accedere, ſed de ſcitu neceſſariis,

ſariis, & ad quid divinum ſumere, & tremendum aptantur, benè informatos.

Quoſcumque in publicis criminibus irretitos, uſuræ nempè, concubinatus, odii, blaſphemiæ, &c. necnon Eccleſiaſticis cenſuris innodatos, & interdictos, hac Angelorum eſca dignos non faciant Cappellani, aſt prorſus repellant, niſi tales obices notoria pœnitentia amoviſſe conſtet, & reſipuiſſe; Amentibus tamen, in eorum lucidis intervallis permanentibus, & obſeſſis à Dæmone, non eſt deneganda communio, ſed cautè.

Præceptum communicandi in Paſchate ſolùm in Matrici, aut propria Parochiali Eccleſia ſatisfiet, pro quo conſuetudinem, alibi receptam, laudabiliter uſurpandam indicimus, ſcilicet, ut plures probati Sacerdotes, viciſſim deſignandi, præcepti ejuſdem interſtitio perdurante, propè aram in congruenti loco poſiti, ſchedulas, communicantibus in ſignum exhibitas, ſibi porrigi curent, & in libro, ad hoc peculiariter aptato, ſingulorum nomina, & cognomina ſignent, & ſchedulas ipſas diſcerpant; Qui liber, poſt addictum præcepti tempus, alteri, animarum numeratione priùs exarato,

cor-

Digitized by Google

correſpondens, eos indicet, qui ad gratiæ menſam eo tempore renuerunt accedere, ut excommunicationis vinculo ligati declarentur, juxta Conc. Lat. Decretum, & exemplari sæveritate mulctentur, & qui in hoc notam fraudem commiſerint,ab excõmunicationis pœna non eximuntur; Aſſiſtentes verò taliter occupati, communia jura, vel diſtributiones, ſi quæ fuerint, non amittant.

In ſacro Tabernaculo, quam pretioſiùs fieri quiverit, ornato, duæ ſemper Pixides argenteæ, intus inauratæ, ſerventur, major una pro populi,ad tale convivium adeuntis, opportunitate, & altera pro ad infirmos Sacro Viatico deferendo, & ne unquam in Eccleſia venerabile deſit, lampadibus jugiter, vel ſaltem una,collucentibus; id tamen inviolabiliter mandamus, ut Pixis geſtanda, ita cooperculo procedat clauſa, ut irrepente caſu lapſus, ruinæ, vel aliter, Particulæ ſine repagulo non reſiliant in terram, quod eveniſſe aliquando novimus; Quæ Particulæ, & majores Hoſtiæ octavo quoque die, & anteriùs æſtivo tempore renoventur.

Inſuper pro eodem ad infirmos geſtan-

Digitized by Google

do, quatuor Clerici alternatim aſſignentur per hebdomadam, vel menſem, haſtiferi ad Baldacchinum, & alius thuriferarius ad incenſandum (ubi fieri poteſt) in ejus proceſſu; & ſi negligentes, vel renuentes fuerint, eorum contumacia carceribus, vel ulteriorum Ordinum privatione punietur; & illud enixè noſtros populos adhortamur, ne in ejus aſſociatione, tanta negligentia, & torpore vincantur, ut, & divinæ acceptationis, & tot Summorum Pontificum indulgentiarum, & noſtrarum, quas poſſumus elargiri, reddantur expertes. Siquidem, ſi in exitu temporaliũ Regum illuſtriores quiq; Principes, ad obſequendum, celeriori, quo poſſunt, gradu, & ſubditi omnes, potiori reverentiæ jure præcurrunt; quò majus Dominantium Dominus, ad infirmos miro amore procedens, à fidelibus, ſicut ab Angelis jugiter, exigere debet obſequium? Sacerdotes igitur, utpotè primos Regis Regum aulicos, validiori ratione obſtringimus, ut ſaltem octo, menſurnis circulis, & ubi Clerus exiguus, quatuor, per tabellam deputentur, qui proximiores Baldacchino lumina deferant, ſub pœna noſtro arbitrio taxanda: poſtmodo nobilibus, & populis omnibus ejus aſſocia-

cia-

ciationem inſinuamus, ſicut & nos, non paſtorali occupatioue præpediti, conſueſcimus, & hoc omni decētiori cultu,& pōpa fiet,ut debitus honor,& gloria, cui verè convenit, afferatur, & ab ipſomet largitore omnia bona pariter expectentur, & potiſſimum, ut Fides, amoto hæreticorum, & infidelium ſcandalo, roboretur; quod mirum haurirent, ſi Catholicos viderent modica veneratione proſequi, quem conſtantiſſimè colere profitentur.

Hoc venerabile Sacramentum in Eccleſiis majoribus, & Parochialibus, necnon Regularium, & Monialium, & non alibi, niſi ſpeciali privilegio, depoſitum retinendum aſſerimns; ad publicam tamen venerationem exponendum, in Eccleſiis, vel Oratoriis, vel etiam in Eccleſiis propriis Regularium minimè permittitur, ſi per nos non liceat, vel noſtros Vicarios, neque ex cauſa publica, ſi à nobis non approbata, ut Sac. Rit. Congr. cenſuit, & hoc ſub pœnis gravibus, noſtro judicio reſervatis. *Die 17. Aug. 1630.*

CAP. V.

AD Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrandum, quod eſt ſecunda in animarum naufragio,poſt Baptiſmum,ſalutis tabula, nemo adire præſumat, ſive ſæcularis ſit, ſiue Regularis, & exemptus, abſque noſtra licentia, literis, ad hoc impreſſis, patente, neq; pro venialibus abſolvendis, juxta Innoc. XI. Decretum, ſi ultra nullitatem abſolutionis, pœnas à ſacris Canonibus indictas, & noſtras etiam inevitabiles effugere noluerint;excepto mortis articulo,in quo cuicumq; Sacerdoti juriſdictio viget, etiam pro reſervatis, & cenſuris; pro quibus tamen ægroto,ſi convaluerit,onus ſe præſentandi ad ſuperiorem tenetur injungere.

Verùm qui ad hoc onus ſubeundum,vel à propria habilitate, vel Eccleſiæ neceſſitate vehuntur,examini, ut mos eſt, ſubjiciantur, in quo, præter ſcientiam, & prudentiam, illud requiſitum non prætermittitur, interfuiſſe per triennium lectionibus, & conferentiis caſuum conſcientiæ, quas cum

modo, & praxi in diſcurſu noſtræ viſitationis, quarta, & ſexta feria, non vacare definivimus, & iterum præſentibus inculcamus; quibus lectionibus Sacerdotes, & in ſacris conſtitutos adeſſe, & præſertim electos cõfeſſarios, obſtringimus, Vicarii localis conſcientiam onerantes, ſi de eorum defectibus, non legitimè impeditorum, certos nos haud faciunt, ut pœnis corripiantur, & Cõfeſſarii à tali munere, ſi videbitur, ſuſpendantur. Hoc inquam requiſitum patere curabunt examinandi fide, Vicarii localis atteſtatione fulcita.

Pœnas inflictas in Conſt. Greg. XV. contra ſollicitantes, cũ obligatione nõ abſolvendi nolentes denunciare, præ oculis habeant: & illud pariter, tàm rigoroſè ſervandum confeſſionis ſigillum, nũquam, & nuſquam oblivione perdatur.

Confeſſiones nonniſi in Eccleſiis, Oratoriis, Sacriſtiis, aut Religioſis clauſtris, non tamen in cella, exceptis Sacerdotum, & infirmorum, fieri mandamus: ſed & mulierum in publicis confeſſionalibus ad crates, & non alibi, abſque noſtra ſpeciali, ubi neceſſarium videbitur, expreſſa licentia; ſub pœna ſuſpenſionis, ipſo facto incurrenda, *Conc. med. 1. p. 2. quo- ad Sacr. Pæn.*

ex-

ceptis confeſſionibus infirmarum, quæ ſemper in loco patenti excipiantur, & cum mulieribus ipſis, præcipuè junioribus, in circumſtantiis impuritatis inquirendis, cautè procedatur, ne ſcandalum patiantur, & quod neſciunt ediſcant: Neque noctu, ſed ab ortu Solis (& ſi per horæ dimidium anticipetur, quod matutina crepuſcula concedunt) uſque ad ſalutationis Angelicæ ſignum, non tamen inter meridiem, & Veſpere, niſi magnus concurſus acciderit, & cum cotta, & ſtola, ſed à Regularibus cum ſtola tantùm; & hæc ſub pœna ſuſpenſionis tùm Sæcularibus, tùm Regularibus infligenda.

Imparatos accedentes Confeſſarii non admittant, præſertim quos diù à confeſſionibus abfuiſſe noſcunt, niſi priùs ſuarum culparum reſtes congruo examine diſſolvant, memoriæ mandent, & contritione, vel ſaltem attritione parentur: nec inſcios rudimentorum fidei, ut ſuo loco diximus; eos tamen non exaſperent, ſed cum moderamine, & charitate moneant, ne confuſi longiùs abeant.

Pecuniarias pœnitentias, ſi Confeſſarius impoſuerit, vel ad eleemoſynam erogan-

dam,

Digitized by Google

dam, vel Miſſas celebrandas, caveat ſibi ipſi applicare, vel aliquid petere confeſſionis intuitu, ſub pœna ſuſpenſionis.

Facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis, hactenùs à nobis, vel prædeceſſoribus noſtris oretenus conceſſam, tenore præſentium abolemus, ſecùs, ſi eam in noſtris literis expreſſam habuerint, Caſus verò, qui Summo Pontifici, & nobis reſervantur, impreſſi in licentiis confeſſionis correſpōdent, & in anteactis Synodis non latent.

Sicut Medicos cogit Conſtit. Pii V. ſub excommunicationis pœna, ut infirmos poſt tres dies non viſitent, niſi confeſſionis munimine fulciantur, ita nos in Hoſpitalibus infirmorum ſpatium unius diei, ad hoc explendum, definimus, ſub eadem inferenda pœna; reliqua prout in noſtris annuis quadrageſimalibus edictis conformamus.

DE SACRAMENTO EXTREMAE Unctionis.

CAP. VI.

IN extremæ Unctionis Sacramento, præter illud totum, perquiſitè ſervandum, quod

quod in Rituali Romano præſcribitur, abuſum illum prorſus adimendum pręcipimus, quo aliqui, vel teneritudine affecti, vel incuria, tempus inungendi ægrotum tàm diù differunt, donec ſenſibus, & viribus deſtitutus, omni ſpe ſalutis amiſſa, inefficaciter ungatur, in quo graviſſimè peccant, qui culpabiliter in tali ſtatu ægrotum liniri faciunt, ut in Cath. Rom. habetur, impedientes uberiorèm talis Sacramenti gratiam, quam perciperet, ſi integra mente liniretur, & ſacri Olei valorem, quod etiam ad ſanitatem quandoque redimendam extenditur. Quamobrem curent ii, quorum intereſt, ut ægrotus, in evidenti diſcrimine vitæ poſitus, eo tempore ſacram unctionem recipiat, quo eam cum Orationibus ſentire queat, & poſt unctionem, verba Sacerdotis (quæ pius inſinuare non deſinat) ad moleſtias perferendas, & ad cœleſtia deſideria excitantia, attentis auribus, & cordis aſſenſu percipere. Iccircò uſum receptum non improbamus Cappellanorum, qui ad Viaticum miniſtrandum, horis nocturnis vocati, ſacrum Oleum etiam eis deferunt, ut Angelorum eſca refecti, ſacri Olei fulcrò ampliùs forteſcant.

P.2.de Sac. extr. unct. n.9.

Vo-

Volumus item, ut noſtri Vicarii duos, aut quatuor, juxta populi exigentiam, Sacerdotes deputent, qui viciſſim per menſem, vel hebdomadam agonizantibus auxilium præſtare nõ pigritentur in tempore opportuno, quorum nomina, ut populi commodo conſulatur, in notula, ad valvas Matricis Eccleſiæ affigenda, deſcribantur, & in hoc ipſimet Vicarii non ſemel ſe præbeant exemplar.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

C A P. VII.

AD Eccleſiaſticam Hierarchiam, cujus primaria cura, ſalus eſt animarum, gradus ferre, nõ leviter conſiderandum imminet, imò, ut ait Pont. Rom., cum magno timore aſcendendum; Dominus enim in manibus Sacerdotum animas fidens, ipſarũ curam diſtricta ratione perſcrutabitur, quod nemo quidem perpendit; *mundus namque totus* (ait Creg.) *Sacerdotibus plenus eſt, ſed in meſſe Dei rarus valdè invenitur operator*; *Ho.17. in Evang.* Et hoc ſanè, quia non examinata vocatione procedunt, & ut plurimùm Clericalem nomenclaturam aſſumunt, ab humanis reſpe-

ctibus inducti; ſæcularem aptiùs, & flagitioſam vitam ducturi,& quod periculoſiùs, aliqui Parentes, propriis utilitatibus inhærendo; filios impellunt cum Clericis aſcribendos, & vinculo excommunicationis innodari non animadvertunt.

Quapropter noſtros Vicarios,& Parochos aſtringimus, ad explorandam promovendorum voluntatem, & de ea plenam fidem faciant, ſicut & de honeſtis natalibus, & moribus;quinetiam de Eccleſiæ neceſſitate, & utilitate, quod Sac. Trid. Synodus decernit: quam fidem volumus,etiam per ſecreta ſuffragia, ab omnibus Sacerdotibus loci præſtanda, comprobari.

Seſs. 23. cap.6.

Inſuper dicti Vicarii, jurata fide, teſtari debent, promovendos, & eorum parentes, bona ſufficientia poſſidere pro congruo Patrimonio, ſuo tempore aſſignando, ne contemptibiles poſteà fiant, ſæcularibus, & vilibus ſollicitudinibus impliciti.

Proinde, ne ignorantiæ prætextu, ſine debitis requiſitis promovendi accedant, ea per gradus indimus. Initiandi enim ad primam Clericalem tonſuram, ſaltem legere, & ſcribere ſciant, fidei rudimenta calleant, & quæ ſequuntur teſtimonialia deferant.

Fi-

Fidem Baptiſmatis, ut de legitimis natalibus, & ætate liqueat.

Fidem Confirmationis, ut hac deficiente, ſacro chriſmate liniantur.

Fidem Curiæ laicalis, qua inquiſitos non fuiſſe conſtet (ſi decimum quartum annum exceſſerint.)

Fidem de vita, & moribus, & frequentia ſcholæ.

Fidem publicationum in propria Matrici Eccleſia.

Promovendi ad minores Ordines, ſaltem latinam linguam intelligant, & certa ſpes adſit, fore in literis progreſſuros, juxta Cōc. Trid. diſpoſitionem; & ſequentia oſtendant requiſita, nempè literas collationis primæ Tonſuræ. *Seſs. 23. c. 11. 12.*

Fidem M. C. Epiſcopalis, num quis fuerit alicujus criminis arceſſitus.

Fidem de vita, & moribus, Sacramentorum frequentia, ſervitio Eccleſiæ, & vacaſſe, non dum ſcholæ, ſed doctrinæ Chriſtianæ in rudibus inſtruendis, ut monuimus.

Et quia aliqui ſuæ inſcitiæ magiſtrorum defectui, ob loci exiguitatem, culpam transferunt; hunc prætextum eis non ſuffragari præmonemus, ſed ad noſtrum Seminarium

adire cogimus, ſi promoveri ad Ordines avent.

Ad ſacros Subdiaconatus, & Diaconatus ordines promovendi, ultra præſcripta in Sacr. Conc. Trid. quæ ſedulò exhibebunt, volumus, ut per decem dies in aliquo Religioſo loco exercitia ſpiritualia perſolvant (requiſitum à fel. recor. Alex. VII. uſu, tùm inde per quam laudabili receptum) ut *Dignitas Sacerdotalis*, ad quam greſſus ineunt, *priùs cognoſcatur*; ſicut Ambr. ait, *deinde, ſervetur*, de quo teſtimonium deferant; quæ requiſita, & ſimul ſequentia patefaciant, videlicet.

Ibidem c. 13.

De dignit. Sacer. c. 2.

Fidem poſtremi proximioris Ordinis collati.

Fidem Baptiſmi pro ætatis diſcretione.

Fidem, ſeù titulum beneficii, vel Patrimonii, ut infra dicetur.

Fidem publicationum in propria Matrici, vel Parochiali Eccleſia,

Fidem exercitiorum ſpiritualium, ut dictum eſt.

Fidem de vita, & moribus, & reliquis, ut ſupra.

Ad ſacrum Præsbyteratus ordinem aſſumendi, tales ſint, ut non dùm ſibi, ſed aliis,

de

de quo ſciendo, & peragendo conſulere polleant, qui per anni unius interſtitium in Diaconatu miniſtraverint, quod quandoque neceſſitas, & utilitas Eccleſiæ diſpenſabile facit à nobis, ut Sac. Conc. Trid. præfinit, & neceſſaria ad idoneitatem comprobandam præſeferant, quæque ſupra diximus, ſcilicet, Fidem Baptiſmi, Diaconatus recepti, exercitiorum &c. ut ſupra. *Ibid.c.14.*

In quorum omnium præſentatione in noſtra Cancellaria, uti pro unius fidei tantummodo jura perſolvant; & in Diœceſi (ne ſumptibus gravati, querantur) in una fide (ubi congruit) plures atteſtationes fieri concedimus.

Notulæ autem prædictorum teſtimonialium requiſitorum in noſtra Cancellariæ præ oculis reviſorum affixæ pateant, ne quis ignorantia vincatur, quæ itidem requiſita, ut accuratiùs, & non præcipitanter recognoſcantur, per octo ſaltem dies ante Ordines quoſcumque recipiendos, volumus noſtris reviſoribus præſentari, quibus diligenter, & procul à fraudibus ea recognoſcere præcipimus, ſub pœna non leviter arbitranda.

Ita, & noſtris Examinatoribus ſummoperè

perè commendamus, ut, ſemotis humanis reſpectibus, Ordinandorum idoneitatem approbent, ipſorum conſcientiam gravantes: neque directè, vel indirectè, aliquid ab illis, hoc intuitu, recipiant; ne qua ſubrepat ſimoniaca labes.

Cupientes ante ætatem ad Præsbyteratū aſcendere, per Sedis Apoſtolicæ indultum, antequam illud pertentent, à nobis conceſſum poſtulent, ſe examini ſubigentes, ſub pœna ſuſpendendæ executionis.

DE TITVLO ORDINANDORVM.

C A P. VIII.

Seſ. 21. de ref. c. 2. VT Sacroſanctæ Trid. Syn. decreto conformemur, omnes promovendos inhibemus ad ſacros Ordines accedere, niſi ſufficientis beneficii titulum oſtendant, vel congruum de bonis ſtabilibus, aut annuis redditibus, & penſionibus Patrimonium poſſideant, ne vivere magno ordinis dedecore exantlent, & ſordidos quæſtus exerceant; & hoc beneficium, vel patrimonium redditus, ad minùs duodecim Uncearum annuos liquidò proferat, juxta praxim, à no-

ſtris

ſtris Prædeceſſoribus approbatam; qui tamen annui duodecim Uncearum redditus liberi ſint ab omnibus oneribus, etiam celebrationis Miſſarum, litigio non ſubjecti, ſed pacificè, & cum actuali perceptione poſſeſſi.

Attamen, ut tutiùs procedatur, bona ab extraneis donata Clericis, in patrimenium aſſignari prohibemus, cum fraude non carere in his comperuiſſemus, & certò ſuſpicemur: ſed, & quæ à Parentibus, Fratribus, Sororibus, vel Patruis abſque hæredibus, aſſignantur, ſi iiſdem aſſignantibus congrua regulariter ſubſtentatio remanſerit, procul dubio permittimus; ſi tamen ſibi vendita fuerint, pactum non eſſe retrovenditionis, vel alterius regreſſus, publicis pateat documentis; quod ſi redditus ipſos redimi contigerit, aſſenſu noſtræ Curiæ Epiſcopalis, Patrimonii ſubrogatio fiat, cum nullo quoque modo illud poſſit, ſub pœna excommunicationis alienari.

Patrimonia falſa, ficta, vel fiduciaria, ſicut prorſus repelluntur, ita qui talibus ſcienter ſe promoveri fecerint, ſuſpenſionis pœnam incurriſſe ſciant, ex vi Conſtitut. *Secretis æternæ Providentiæ.* Urb. VIII. & qui ad id cooperantur pœnam

nam excommunicationis nobis reſervatæ.

Proinde illud inviolabiliter obſervandũ confirmamus, ut bona Patrimonialia in tribus diebus Dominicis, & non aliter, in noſtra Cathedrali denuncientur, & in Diœceſi in Eccleſiis Matricibus, & Parochialibus reſpectivè, vulgari lingua, & tenoris ſequentis.

Si notifica, che N.N: deſidera d' eſſere promoſſo à gli Ordini Sacri, e pretende aſſignarſi in Patrimonio N. (hìc exprimitur qualitas, & numerus bonorum, & à quibus ad Ordinandum pervenerint) *e perciò chi ſapeſſe, che li frutti di tali beni aſſignati non ſiano proprii del ſudetto N. N. ne di quelli, che gli l'hanno aſſignato, ò ſe foſſero hipotecati, & obligati à qualche cenſo, ſenza la ſicurtà di detto Patrimonio, ò vero, ſe vi foſſe qualche donatione fittitia, ò falſità, lo voglia revelare, ſotto pena di ſcommunica riſervata à Monſig. Illuſtriſs.*

Quarum denuntiationum tenore, ſchedulas affixas per quindecim dies permanere mandamus in valvis Eccleſiarum, ubi publicatæ fuere, ut ad omnium notitiam perveniat, & ſi quid obſtans reveletur, Cappellani ad Vicarios deferant, & noſtra Epiſcopalis Curia commonefiat, ut interpelletur

tur

tur promotio. Quod ſi poſt collatum Subdiaconatus ordinem deluſio deprærhendatur, ad ulteriorum Ordinum ſuſceptionem, donec ſufficientia novis denuntiationibus præſtetur, adire retrahatur.

Quin etiam volumus, ut relationes de certo valore bonorum patrimonialium, non ſolum juramento æſtimatorum expertorum, & probatæ vitæ muniantur, (qui ſi humano reſpectu, aut turpi lucro affecti, falſum depoſuerint, laqueo excommunicationis majoris cum perjurio vinciuntur) verum etiam, & duo teſtes adhibeantur, qui ſuper vera, & reali aſſignatione jurent, nec non ipſemet aſſignatarius juret inter ſe, & aſſignantes colluſionem non interfuiſſe, ſub ulterioribus pœnis inferendis.

Quæ omnia factorum experientia nos monuit inſinuare, Vicariorum conſcientiã apprimè gravantes, ut fideliter de prædictis certos faciant noſtræ Epiſcopalis Curiæ Miniſtros, quos etiam non parum urgemus ſuper omnibus accuratiſſimè invigilare, ſi Divinam indignationem, & noſtram non appetunt incurrere.

Nec prætereundum ducimus requiſitum in Regularium promotione, nimirum ut

jurent, ante ſacros ſuſcipiendos Ordines, in actis noſtræ Cancellariæ ſe ſpontè profeſſionem emiſiſſe, ne profeſſi ad titulum paupertatis, & in ſacris initiati, profeſſionem poſtmodum annullantes, ſine titulo remaneant, ut eveniſſe liquet, & turpem quæſtum non valeant pro paupertate compeſcere.

DE SACRAMENTO *Matrimonii.*

CAP. IX.

INdiſſolubile Matrimonii ligamen, diſjungi non poſſe, niſi ex gravioribus cauſis, exactiſſimè recognoſcendis, ab Eccleſia ſtatutum non ignoramus. Quicumque igitur illud diſſolvere, vel cogere, vel non rationabiliter impedire, vel falſo impedimentum objicere, vel impedientia non revelare, vel Sac. Conc. Trid. requiſita non ſervare auderent, excommunicationis vinculo noverint innodari.

Ad Sacramentum accedentes, ſi comperit Parochus rudimenta ad ſalutem neceſſaria neſcire, repellat, donec ediſcant, admittendos.

De-

Denunciationes à Sacr. Conc. Trid. fieri præſcriptæ, præſtito utriuſque contrahentis aſſenſu, in tribus diebus feſtivis (& non aliter, ſub pœna taxanda, abſque noſtra rationabili diſpenſatione) fiant, & ubi populus ſæpè exiguus Miſsæ ſolemni ſolet intervenire, & de aliquo impedimento dubitatur; Parochorum prudentiæ remittimus; ut ſi videbitur expedire, reſpecta contrahentium conditione, eas in ſchedulis exprimãt, portis Eccleſiarum Parochialium eo decurſu temporis affixis, ut omnium cognitioni perveniant, & aptiùs impedimenta, ſi quæ fuerint, eliciantur, & ſpatio unius diei ab ultima denunciatione intercepto, tuta fides extrahatur; Ubi verò impedimentum aliquod deprehendetur, non ultra Parochus procedat, ſed nobis, vel noſtro Vicario Generali cognoſcendum remittat, quod ſi bimeſtre fuerit ab ipſis denuntiationibus elapſum, renoventur, niſi aliter, nobis viſum fuerit arbitrari. *Seſs. 24. de ref. matr. c. 1.*

Si contrahentes concives, ſed diversæ Parochiæ fuerint, in utraque Parochia trina fiat denuntiatio; ſi verò ambo ſint patria diſſimiles, denunciari ne permittant Vicarii, poſthabito in ſcriptis noſtræ M.C. man-

dato, ſub pœna uncearum decem, piis operibus applicanda.

Ad libertatem probandam non niſi teſtes probatæ fidei ad jurandum occurrant, in noſtra Curia diligentiſſimè examinandi, & ſi ob mortem alterius utrius contrahentium conjugis; per fidem authenticam Parochi, ubi ſepultus extat, probatio fiat.

Non alibi, quàm in Matrici Eccleſia, vel Parochiali, & coram proprio Parocho ſtatutis temporibus matrimonia celebranda volumus, neque per Procuratorem, abſque noſtro nutu, in ſcriptis obtento; ſecùs id facientes, vel indulgentes non erunt carceris, vel aliarum pœnarum immunes; ſi verò in propriis ædibus (quod tantummodo nobilibus, vulgò dicti *Gentil' huomini de la Maſtra*, & Doctoribus concedi limitamus) vel ferò ſponſalia noſtro permiſſu contrahantur, ſponſos pœna excommunicationis premimus, ſi eos infra bimeſtre benedictionem Eccleſiaſticam recipere piguerit, quam multi adverteriter omittentes, in contemptum redigunt, eam nihili facientes, proindè ac ſi eſſet res vana, ut ait Sanchez, & in ſacri Canonis anathema incidere non ambigũt.

De matr. l. 7. diſp. 82. nu. 6.

De ſacram. matr. Can. 11.

Sicut debent conjuges, ad gratiam con-

ſequen-

ſequendam, hoc Sacramentum in gratia contrahere, ita gratiam amittere, anticipata copulatione illud violando, prorſus abhorreant, ad cujus periculum eliminandum, commercia inter nondùm deſponſatos, cohabitationem, nocturnas moras, & hujuſmodi periculoſa contubernia, ſub pœna excommunicationis interdicimus.

Illud hic animadvertant concubinarii, ſivè uxorati ſint, ſivè ſoluti, quod ſi de ſejunctione non conſtiterit, ultra excommunicationem latæ ſententiæ, nobis reſervatam, à Sacramentis expulſi, præmiſſis admonitionibus, prout in quadrageſimalibus noſtris annuis Edictis, per publicos Cedulones quotannis (quod etiam in noſtra Diœceſi ſervandum) ſtatuimus patefieri.

CON-

CONSTITUTIONUM

CEPHALUDENSIS

ECCLESIAE IN DIOECESANA SYNODO.

PARS TERTIA.

DE VITA, ET HONESTATE, Clericorum.

C A P. I.

Seſs. 22. de ref. c. 1. SI nihil eſt, ut Sac. Trid. Syn. ait, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui ſe Divino miniſterio dedicarunt; quid ſpei populorum ſaluti adeſſet, ſi Sacerdotum vita non prodeſſet, ſed mutuis cum populis ad vitia ſeſe informarent, aut foverent exemplis? Tempus quidem eſſet illud, per Eſajam, & Oſeam Domini *Eſajæ 20. Oſeæ 4.*

com-

comminantis: *erit ſicut populus, ſic Sacerdos*, &, quod peſſimum, laici ſuos errores, & peccata verſutè Eccleſiaſticis imputarent, videntes eorum vitam, habitus, geſtus, inceſſus, ſermones, cæteraque facta à ſuis minimè diſſentire. Nos igitur, quos Paſtoralis ſollicitudo in hoc ſtrictiùs adigit, Sacrorum Conciliorum decretis inhærentes, comminationeſque timentes, qui ſequuntur, Canones, juxta plura Conc. ſancimus ab omnibus, in ſortem Domini vocatis, inviolabiliter ſervandos, ut irrepræhenſibiles facti, ſtudeant verbis, conſiliis, & exemplis, in ſcelerum gurgite laborantibus opem ferre, non ſacrum nomen ſcandalis inficere. *Seſs. 22. ibid. cit.*

Primò, Eccleſiaſticis omnibus, cujuſcumque dignitatis, & conditionis fuerint, Tonſuram, & habitum ſuo gradui congruum, indicimus deferre, veſtem nempè talarem, licèt cauſa itineris breviorem, nunquam tamen epitogia, vel rudes penulas, vulgò *Cappotti*, *Saglimbarchi*, *Palandrani*, in publicum ſupergeſtent, & ſi in campis, cauſa pluviæ, ſemper cum veſte ſubter interiori nigra, & clericali collariolo patente: itidem extra domeſticos parietes, infulis, & pileolis lineis deal-

dealbatis, & fimbriatis, nunquam conſpici permittant, quod valdè in deſuetudinem receptum, vanitatem proculdubio redolet, neque cum chiridotis verſicoloribus vulgò *Ovatte*, aut per plateas cum dimidiis veſtibus, vulgò *Caſacchini*, aliiſque parùm decentibus induviis: inſuper nunquam talares ita erectas, vel apertas geſtent, ut veſtes ſubteriùs, vel vanè ornatæ, quæ ſcandalum, vel obſoletæ, quæ contemptum concitant, videantur; neque caligis, coloribus, Clericorum honeſtati diſcrepantibus, utantur, quæ omnia ſub pœna Unciarum quatuor; Hæc enim ſub gravioribus pœnis Sacri Canones inhibent: Comam non nutriant ſubtus aures pendulam, vel arte criſpatam, ſi tonderi ægrè ferunt inviti, & nullo prætextu fictam geſtent; nec anulis utantur, niſi, qui ex privilegio permiſſum habent, tantum unico: nec aureis, vel argenteis fibulis, ſub eorum amiſſionis pœna, ſed à plancta pedis, uſque ad verticem capitis modeſtiam, & amabilem gravitatem præſeferant.

Lib. 3. clem. de vita, & bon. Cler.

Arma in domibus detinere, niſi nobis, & in Diœceſi Vicariis localibus ſcientibus, & annuentibus, prohibemus: neque foris cauſa itineris, abſque noſtra in ſcriptis licentia

de-

deferant (quod ſi rarum , & licitum noverimus oretenus permittemus) ſub pœna carceris; nuſquam tamen ſi ea forent à Regiis Pragmaticis vetita , ſub viginti Vncearum mulcta, & carcerum noſtro arbitrio: Quin etiam à facinoroſorũ hominum , & bannitorum contuberniis , tamquam à peſtifera lue infectis , fugiant , nec unquam ad eos hoſpitandos, vel tuendos,vel ſecum quocũque prætextu convivendum, ultrò impendantur ; taliũ enim ſodalitas ſæpè clãdeſtina ejuſdem improbitatis venena propinat, graviſſimis pœnis obnoxii , ultra quas ſacri Canones inflixere , à nobis infligendis.

Preciso neceſſitatis caſu , poſt ſecundam noctis horam deambulare , vel cum ſono, & cantu , aut interdum larvatos, vel aliter vagari , ſub pœna Vncearum quatuor, vel carceris, interdicimus,& pari puniendos , ſi in ſcenis perſonã,licet ſacram,geſſerint,noſtra non explorata voluntate , aut laſcivis ſpectaculis intervenerint , quæ *Conciſtoria impudicitiæ*, Tertullianus vocat , *& Veneris ſacraria.*

Sexũ,qui Clericos repræhenſibiles exhibet,& in lapsũ protrahit, caveant habere familiarem,etiã prætextu pietatis,qua fortiùs

Viſcus libidinis implicat, vel compaternitatis (quam ultra tertium conſanguinitatis gradum, abſque noſtri Generalis, vel Vicariorum localium cautim conceſſa facultate, non contrahant.) Iccircò cum mulieribus, præter conſanguineas, vel affines in ſecundo, non commaneant: nec aliquas ad ſuum famulatum, niſi quadrageſimum annum attigerint; quas utique, nec ſoli ſolas adhibeant: neque ipſarum, & ſi puellarum, ultra dictum gradum Ludi-Magiſtri fiant, niſi à nobis reſpectis moribus, & ætate, permiſſum, ſub pœna Vncearum decem, vel aliter arbitranda; illudque tàm Clericis diſſonum, nempè mulierum anteambulones fieri, & ſæcularibus, licèt illuſtribus, inſervire, & in aliis ſimilibus immiſceri, ſub pœnis ad noſtrum placitum, prohibemus.

In avaritiæ ſordibus non implicentur Clerici, queis tonſura ab initio dixiſſe memorat: *Dominus pars hæreditatis meæ*; à mercatura nimirum, & quibuslibet aliis negotiis animum abducant; & nullo modo licitum habeant gabellis intervenire, vel eas exigere, aliena prædia conducere, aut in aliis hujuſmodi curis intrudi, & præcipuè ubi quis poteſt fraudis gabellarum queſtus

ob-

obrepere, ſub pœnis noſtro arbitratu graviſſimis; animarum enim ſalutem inquirere Sacerdos non lucra terrena debet, ut Leo III. præſcripſit in Conc. Cabil. Can. 6.

Cum tota noſtra authoritate ordinaria quibuſcumque de Clero interdicimus Domi propriæ, aliiſve quibuſque locis, aleis, vel taxillis ludere, vel ludos permittere, ſub pœnis arduis, nec in publico loco comeſſationes frequentent.

Medicinam, aut Chirurgiam Clericos exercere poſſe, inficiamur: eoſque curas, tutelas, fideicommiſſiones, vel teſtamentarias exequutiones, etiã ad pias cauſas, aſſumere, necnon Advocati, vel Procuratoris officium in Tribunalibus laicis in quibuſvis cauſis, abſque noſtro beneplacito, ſub pœna carceris arcemus; quod in primo Conc. Cartag. hiſce verbis indicitur: *Ut qui ſerviunt Deo, & annexi ſunt Clero non accedant ad actus, ſeu adminiſtrationem, vel procurationem domorum*, (ſic interminans) *aut Clerici ſint ſine actionibus domorum, aut actores ſine officio Clericorum*. Et ſi aliquem ibi ſiſtere pro cauſis propriis, & conſanguineorum admittitur; juramenta tamen, & fidejuſſiones minimè præſtent. Can. 6.

 Cle-

Clerici conjugati iuxta ſacros Canones, niſi Tonſuram, & habitum detulerint, & alicui Eccleſiæ, vel pio loco inſervierint; privilegiis Clericalibus non gaudent.

Clerici autem in minoribus conſtituti, Subdiaconi, & Diaconi, ſi omnibus Dominicis, & feſtivis diebus Eccleſiaſticis functionibus, & in Cathedrali, etiam feria V. Miſſæ ſolemni de Sanctiſs. Sacramento, & ejus proceſſioni non adfuerint, & qualibet tertia menſis Dominica Euchariſtiæ Sacramentum in ſolemni Miſſa non ſumpſerint, & haſtigeri ad ſacrum Viaticum deferendum abſuerint; clericalia emolumenta, in pauperes eroganda, juxta Vicarii localis taxam, ſe noverint amiſſuros, & ſi ſæpiùs contumaces, in carceribus detinendos.

Quidquid denique alienum eſſe à Deo dicatis dignoſcent, & moribus haud conſonum, omni ſedulitate curent, conſcientia ſtimulante, deteſtari: Occaſiones ad animæ interitum, vel ſcandala ducentes amputent, Superioribus obsequantur, ſacrificiis aſſidui, & Eccleſiaſticis muniis, & in ſolemnioribus obligatione potiori aſſiſtere non detrectent; à ſui nominis munere non deſciſcant, propriam agnoſcentes dignitatem,

Ne

Ne nos, ut Greg. ait, *Qui plus cæteris in hoc mundo accepiſſe aliquid cernimur, ab authore mundi gravius inde iudicemur.* Hom. 9. in Evang.

DE DIVINIS OFFICIIS, ET CHORO.

C A P. I.

P*Sallite Deo noſtro, Pſallite ſapienter*: ipſemet Pſaltes David, jugibus Deo laudibus obſequens, paſſim adhortabatur; Verum enim ſapientiam iſtam trina perficit attentio, ad verba nimirùm rectè proferenda, ad ſenſum verborum, & objectum, nempè ad Deum, quem oramus, & Sanctos, & ad rem ob quam oramus; hac enim deficiente, inſipiens Pſalmodia, ſtulta deprecatio, & ut Belluacenſis ait; *Non plus delectatur Deus in Oratione vocali ſine attentione mentali, quàm in garritu avium, vel grugnitu porcorum*; imò potiùs ad indignationem provocatur, & inde peccata prodeunt, unde remedia præſignantur. Hoc ergo ſacrificium laudis debent horis canonicis addicti, corporis, & animi præaptata compoſitione, tali modeſtia, attentione, & devotione perſolvere, ut ab eo delectum Dominus, ipſi pro-

Pſal. 26.

Sp. mor. l. 3. p. 10. d. 33.

profectum, & fidelium corda veræ devotionis exemplum eliciant. Sed proh mœror, ſi cor, & os non junctim verba promunt! ſi quis enim lingua ædificat, & mente deſtruit, juxta illud Eccleſ. Quid prodeſt illi niſi labor? quantæ inquam diſtractiones advertenter inteſſunt? quot verba mutilata? quam grata celeritas? modeſtia procul? riſus, & vaniloquia intermiſta? ita ut ſalutis media in perniciem impendantur?

Cap. 34.

Ad hæc igitur ſcandala eliminanda (pro noſtra Cathedrali primariò loquentes) Præfectus Chori, conſcientia remordente, ſedulus invigilet, & quocumque humano reſpectu poſthabito, tales immodeſtos, & nugaces, vel concentus immodulatores, omni ſalubriori, &, ſi opus eſt, acriori modo redarguat, & correctionem parvipendentes ad nos referat, ſeveriùs corrigendos. Punctator interim, cujus conſcientiam oneramus, eos tamquam abſentes, abſque exceptione judicet (ſi verò per ſpatium unius brevis Pſalmi diverſio moratur, tantùm ſupplementa demat) ita, & in Miſſis, quibus cantu reſpondere tenentur, ſi modicum tempus in collocutionibus exceſſerint, vel aliis (quod incongruum eſt) orationibus

vo-

vocalibus occupati, ſuo debito non ſatisfecerint: ſimiliter ſi finito primo pſalmo in Mattutino, & aliis horis advenerint, & in Miſſa poſt Kirie, vel, ſi non finitis iis, à Choro receſſerint, abſque neceſſitate excuſante, à præſentibus excipiantur. Verùm à Choro exire nonniſi ob gravem cauſam, qua urgente, non ſine Præfecti nutu, licitum habeant, inſueto more non obſtante.

Abuſum Tabacci in Choro ſummoperè improbamus, queis tamen vitium in neceſſitatem inoleviſſe videtur, illum clàm ſumere ęgrè permittimus, nec aliis ſumēdum porrigant, ſub pœna faltæ: itidem chirotęcas, hyemali, & flabellos, æſtivo tempore, ſub eadem pœna prohibemus in Choro deferri: & quæcumque levitatis ſigna, vel geſtus omnimodè propellantur.

Quod de Choro Cathedralis dictum eſt, id regulariter ſervari curent in Diœceſi Vicarii locales in eorum functionibus, & Miſſis ſoleminibus, & contumaces non ſolum arguant, ſed, vel ſuæ portionis Communiæ ſubtractione puniant, vel taxam rationabilem edicant, ex aliis emolumentis deſumendam, & ſuo arbitrio in pios uſus diſtribuant; quod ſi talibus correctionibus

non

non paruerint, eos acrioribus pœnis proſequantur. Omneſque ſciant poſſe, qui in Choro loquuntur, vel immodeſtè verſantur, dùm ſacra peraguntur, per Honorium III. excommunicatione compeſci; Imò Innocentius III. talia inhibens, pœnam ſuſpenſionis infligit.

Diſtributiones, quæ pro faltis abſentium quolibet anno creſcunt, inter præſentes dividantur, & nullo quoq; modo Canonici eas alternatim, colluſione ſubrepta, vel amicabili compoſitione, condonent; illicitum enim eſt, aliquo prætextu, illas alicui remitti, qui ab Eccleſiæ ſervitio abfuerit; neque fas eſt cuipiam eas capere, & ſi hactenus acceperint, ad reſtitutionem tenentur, vel pauperibus diſtribuant, ut per Concil. Trid. habetur, & paſſim Doctores.

Sac. Cong. ſuper ſeſ. 22. de ref. c. 12.

Infirmi, ſenio confecti, vel in carceribus, (nõ tamẽ ob propriã culpã) detẽti, & abſentes pro utilitate Eccleſiæ, nẽpè ad Sacramenta miniſtranda, aut aliter occupati, diſtributiones non amittunt; illo tamen habito reſpectu, quo taliter non impediti intereſſe Choro ſolebant: item qui per triduum cauſa funeris conſanguineorum, vel affinium ſtrictiorum abfuerint.

Qui-

Quilibet in Choro ſuo penſui perſonaliter ſatisfaciat, ſub pœna Tarenorũ ſex, & alterius ſubſtitutio, vel exhibitio, ne fiat, ſub eadẽ pœna, niſi à Præfecto Chori obtẽta venia.

Horæ Canonicæ ſtatutis horis, in tabella horaria diſpoſitis, celebrentur, & non aliter, abſq; rationabili cauſa, vel noſtro permiſſu.

DE PROCESSIONIBVS.

C A P. III.

SAcris Proceſſionibus, à Sancta Eccleſia inſtitutis, & à nobis pro bono publico indictis, omnes, qui de jure tenentur, conſtitutis horis interveniant, tàm Sæculares, quàm Regulares, ordine ſuo, ſub pœna Regularibus Cenſurarum, juxta Conc. Trident. decretum; Sæcularibus verò Clericis, pecuniaria, dignitatibus nempè, & Canonicis, Tarenorum ſex, Sacerdotibus quibuſcumque, Tarenorum trium, & Clericis minoribus, Tareni unius, Societatibus item, & Confraternitatibus, interdicti ſuarum Eccleſiarum. In quibus tamen ordo non turbetur, ſed bini procedentes gravitatem, modeſtiam, & qui ſunt ex Clero devotio- *Seſs. 25. c. 13.*

 nem

nem in pſalmorum alternato concentu præſeferant, ſciantque, quod ſuæ obligationi non faciunt ſatis, ſi ante completas functiones redierint; & contravenientes Punctator oculatus deſignandus, fideliter notet, pro dictarum pœnarum exequutione.

Secluſa ſolemnitate Corporis Christi, & ejus Octava, & ubi probata conſuetudo viget, etiam tertiis quibuſq; Dominicis menſium; nulla alia Venerabilis Sacramenti Proceſſio ſolemnis extra Eccleſias fiat, ſub earum, etiam ſi Regulares fuerint, interdicto: Proceſſiones item novæ, & inſuetæ, ſivè in Urbe, ſivè in Diœceſi, ne fiant abſque gravi, urgente, & publica cauſa, ſub pœna excommunicationis; niſi à nobis obtenta in ſcriptis facultate, qua exhibita, non longiori procedatur itinere, quam in proceſſionibus majoribus, & nequaquam poſt occaſum Solis terminentur.

DE CAPITVLARIBVS.

C A P. IV.

CApitulum huiuſce noſtræ Cathedralis ex quatuor Dignitatibus, & octo Ca-

Canonicis conſtare, poſt ſæcularizationem, Pontificio diplomate liquet, qui Senatores Eccleſiæ dicuntur, & Epiſcopi Conſiliarii, cui ad Eccleſiaſticas functiones adeunti, proximiores obſequuntur, & aſſiſtunt: In ſolemnioribus feſtivitatibus anni, ipſi Divina officia perſolvunt, ordine per tabellam in Sacriſtia reſerato: Feſta, quæ Decanalia dicuntur, ad Dignitates diſtinctim ſpectant, in quibus Altare candelabris argenteis, & ſtatuis exornetur, ſed, ſi quis ex Dignitatibus abfuerit, inferior ſuccedat, quo etiam abſente, Canonicus antiquior; In Canonicalibus verò, iiſdem candelabris, ſed abſque ſtatuis, & abſente Canonico, alius Canonicus indifferenter ſuppleat, ut aliàs fuit per noſtra edicta diſpoſitum: Veſperas, & Miſſas cum Magiſtro Cæremoniarum, & Mazzerio aſſiſtentibus, cantabunt, etiam ſi in aliis Urbis Eccleſiis id fieri contigerit, in quibus Veſperas cum quatuor cappis cantare, ipſis tantum eſt licitum, iiſdemque antiphonam præintonantibus, omnes in Choro ſurgant, & cuilibet ex his Præfecto exiſtenti omnes obſtringuntur morem gerere, ſub pœna contumacibus à nobis irroganda; Omnes enim in Eccleſiæ regimine præſident, reſpe-

 cta

cta ſemper majorum, quorum intereſt, ut dicemus, auctoritate, Dignitatum nempè, & in eorum abſentia, antiquiorum Canonicorum per gradus.

Decanus namque, qui prima poſt Pontificalem dignitate, Prioratus quoque Gibilmannæ titulo, & proventibus perfruitur, omnibus, & ſuper omnia in Eccleſia præeſt, &, ubi ſequentia non obſtant, ſuis juſſis quiſque parere tenetur: Sua intereſt Capitulum convocare, prima ſuffragia ferre, & in noſtro defectu omnes functiones, præter ea, quæ noſtri tantùm juris ſunt, ipſe ſufficere: quæq; ſibi, ex noſtræ Cathedralis conſuetudine, & editis ſanctionibus, aſciſcuntur, ſedulò perficiat, ne cultus Divinus ſenſim tepeſcat, conſcius pariter, quod ea, quæ majoris ſunt honoris, onere potiori feruntur: In feſtis Pontificalibus, nobis addictis, ſuam Miſſam per quam tardiùs, & nobis annuentibus celebret, ut aliquo irrepente caſu, noſtra, ut moris eſt, ipſe munia ſubeat.

Archidiaconus, cui ſecunda Dignitas eſt annexa, cum Beneficio S. Blaſii in Urbis territorio, qui per Tridentinum, oculus vocatur Epiſcopi, munus, proprium habet eidem

Epi-

Epiſcopo in ordinationibus aſſiſtere, Ordinandos examini proponere, & dignos præſentare, eique in ſacrorum Oleorũ benedictione miniſtrare; ut in Pontificali Romano præſcribitur: necnon in feſtorum præcepto ſervando, quò ad opera in illis vetita, diligenter invigilare, & pœnas à Vicariis localibus, pro tranſgreſſoribus inflictas, exigere; ob id ſuos ubique ſubſtitutos præmoneat, & arguat, ne, prætextu eleemoſinæ, licentias ad labores impertiant; quod ſatis fuit ſuo loco commendatum.

Cantor, qui & Abbas S. Mariæ de Cacciapinſeri Cameratæ, tertia Dignitate gaudet; ſua præ cæteris Chori moderatio refert; ipſe enim, juxta feſtorum qualitatem, Lectiones, Prophetias, & Antiphonas diſtribuit; Pſalmodiam regulat, cæteraque ad cantum ſpectantia, qua decet modulatione, diſponit: ſchedas pro Miniſtris in Majoris hebdomadæ, aliiſque ſolemnitatibus per annum explendis, ſuum eſt exhibere, & eos, qui viciſſim Communiæ jure tenentur diurnas Miſſas pro defunctis, & anniverſaria celebrare, in libro expoſitos, prævidere, & ſubſcriptione firmare: Ipſi

etiam

etiam pro Epiſcopo, vel Capitulari defuncto, exequiæ, & ſuffragia, piè, & ritè peragenda committuntur, in quibus omnibus Magiſtri Cæremoniarum ipſi ſemper adhæreant, ne ordo confundatur; Verùtamen in mulctandis abſentibus miniſtris, vel aliis de Choro ſubrogandis, à digniori Chori Præfecto pendeat, qui ſubſtitutis, ne ſervitium deſit, deficientium ſumptibus jura ſolvet.

Abbas S. Mariæ de Vocante Miſtretæ quartam poſſidet dignitatem, quæ Præbenda Theologalis dicitur, à Sacr. Trid. Syn. ſummoperè commendata, ne cœleſtis ille ſacrorum librorum theſaurus, quem Spiritus Sanctus hominibus tradidit, neglectus jaceat; ipſi enim Sacram ſcripturam in apertum ſenſum redigere onus adſcribitur; Attamen illud hactenùs, in exponenda morali Theologia verſatum, nō improbamus; quin etiam ſuas aſſertiones, & ſi latinè proferat, vulgari poſtmodum idiomate, audientibus opportuniori, conſentaneum ducimus explanari, caſus Conſcientiæ peculiares proponendo, eoſque per exempla, praxi congruentia, diſertè, pellucidèque reſolvendo. Quod bis in hebdomada ſtatutum, ſcilicet

Seſs. 5. de ref. c. 1.

ter-

tertia,& ſexta feria poſt Veſperas non vacare ſatis agat (quibus diebus, ut præſens in Choro cenſeatur) necnon de quo ediſſerendo tractatu quandoque nos conſulat. Huic lectioni omnes de Clero,Cõfeſſarios,& alios quoſcumque,ſaltem à quadragenario infra, exceptis doctoratis in Sacra Theologia,operam navare præcipimus, ſi gravis correctionis judicium moleſtè ferunt incurrere: quibus etiam optio datur, ſi quid dubium de lectione ſentiunt, exponere, ſolidioribus rationibus enucleandum.

Qua propter ad omnia, quæ proprii cujuſquam muneris ſunt, nemo alius ſe intermiſceat, & in meſſem alienam falcem ponat; præter illud,ſuperiùs dictum,ſacra munia in defectu digniorum obire, & in regimine præfici.

DE MAGISTRIS *Cæremoniarum.*

CAP. V.

MAgiſtri Cæremoniarum, qui duo ex conſueto,pro ſacris ſervandis ritibus, & Choro dirigendo,in Cathedrali præſident;

ſident;Unus, ut Epiſcopo,ſacris actionibus ubique perfungenti, præſto ſit; Alter pro Capitulo, & pro Chori etiam directione; Quæ ſui muneris ſunt nõ dũ callere, ſed in praxim redigere ſatagant,quæ ex libris probatorum auctorum,Epiſcoporum cæremoniali,& aliis id docentibus, ſedulò rimabuntur, & abſq; deſidia curent attentè ſervari, ne ſacrorum Rituum decus obſoleſcat. Qui Chorum dirigit, miniſtros quoſcumq; officiorum, quo ritu ſint peragenda, præmoneat, ſicut & de colorum variatione: Cantori ſepè cohæreat, & præcipuè pro exaranda pro quaque hebdomada in ſolito libro miniſtrorum pagina, ut alibi diximus. In Choro, & proceſſionibus tali modeſtia,& gravitate præfulgeant, ut cunctorum reverentiam,& morigerationem ſibi concilient, & quæ facienda, & vetanda cenſuerint, diſcretè, & nutu potiùs, quàm voce ſignificent. Quando ſtandum, genuflectendum, procedendum, &c. ipſi præveniant, ut alii faciliùs aſſentiantur. Reliqua ad ſe ſpectantia caveant parvifacere, ne ſegnitie redarguantur, vel aliis correctionibus ſubigantur. Quibus noſtrorum Prædeceſſorum conſtitutionibus inhærendo, pro centum

faltis

faltis non punctari concedimus, à falta tamen non eximuntur, ſi nobiſcum, extra Cathedralem aſtiterint in horis, pro Choro ſtatutis.

DE COMMVNERIIS, & Procuratoribus.

C A P. VI.

COmmunerii, quorum propria munia ſunt, omnes proventus, pedagia, eleemoſinas, & quæcumque jura, ad Capitulum, & Clerum quomodolibet ſpectantia per ſe, vel ſuos Procuratores defendere, exigere, & congruo tempore, juxta laboris menſuram diſtribuere; duo ſint ex inſignitis, vel ſaltem unus, habiliores, & integri à nobis, vel noſtro Vicario Generali, unà cum octo ex Capitulo, & Clero ſtatutis deputatis, eligendi.

In functionibus, quæ de Communia ſunt, perſolvendis, & earum ſignis dandis, præcipuè exequiarum, vel proceſſionum ad funeranda fidelium cadavera, Præfectorum Chori congruenti placito ſemper adhæreant; ne correctionibus afficiantur.

In libris, regulariter diſtinctis, legatorum, & Miſſarum executiones notent, præſentiũ, abſentiumque nomina ſignent, & cætera ad rectam miniſtrationem ſpectantia, & potiſſimùm in libris defũctorum, nomina, diem, funeris taxam, & ſepulturæ locum deſcribere non negligant, ſub quatuor uncearum mulcta.

Stante pio uſu Diœceſis, celebrandi, cum reſciverint cujuſpiam Sacerdotis noſtræ Cathedralis obitum, Miſſam ſolemnem pro ipſo defuncto; ita decens, & juſtum judicatur idem in Cathedrali fieri pro defunctis Sacerdotibus Diœceſanis. Curent igitur Communerii, cum notum habuerint cujuſquam ipſorum obitum; non dùm generalem memoriam, prout hactenus, facere, ſed aliam ſpecialem Miſſam paritèr ſolemnem celebrare, ſi nolunt hoc communi, & alternato ſuffragio privari, & uſum demi; quinimò ſtatim, ac aliquis è vita deceſſerit, alterutrum certiores fiant, ut unicuique peculiaribus ſuppetiis ſuccurratur.

Pro punctandis abſentibus, vel excuſandis, ea ſervent, quæ pro addictis Choro diximus, etiam quòad tempus, & cauſam.

Laudabilem hujus Communiæ conſue-

tudi-

tudinem, de gratis humandis pauperum cadaveribus, commendamus, & ſtrictiùs ipſis, aliiſque de Clero demandamus, ut conſtito inopum obitu, ad eos quàm primùm ſociandos non pigreſiant.

Communerii die S. Auguſtini, hujus Cathedralis Patroni, eliguntur, ut ſuprà, unà cum Theſaurario, librorum Detentore, Altariſtis, & Reviſoribus; ex quibus, qui ex officio tenentur, cum ſuis Procuratoribus (quos cautos, & rectos eligant, noſtro præhabito conſenſu) quolibet anno fidelem, ad quos ſpectat, rationem reddant, quindecim tantùm dierum à fine anni intercapedine permiſſa, ſub pœna uncearum decem, & carcerum noſtro arbitrio.

Caveant Procuratores, & exactores, apocas, & apodixas ad complementum, ſolventibus efficere, aliaque ſimilia computa, niſi priùs in libris Detentorum comprobetur adſcribenda ſolutio, ſub pœnis, præter ſolvendum de proprio, noſtro arbitratui reſervatis: neque depoſita in capſa, niſi præſentibus Detentoribus, ſerventur, in quorum libris protinùs annotentur.

Legatorum piorum ſummam pro Communiæ diſpendiis exhaurire, vel pro aliis, litigioſè

tigiosè recuperandis, nunquam liceat, ne, ut alterius jus expetatur, aliorum adimantur ſuffragia, vel diutiùs remorentur, ſed, cum opus advenerit, nos de quo agendo conſulant, ſub pœna excommunicationis inferenda.

In Diœceſi, niſi aliquid novi incurrens ejus conſuetudinis ordinem perturbaverit, eam, ut hactenùs, ſervandam præcipimus.

DE CAPPELLANIS.

CAP. VII.

CAppellani, qui loco Parochorum, quò ad Sacramenta miniſtranda, in Urbis, & Diœceſis majoribus Eccleſiis præſident, cuncta, quæ paſſim in his Synodalibus Conſtitutionibus, & præcipuè in ſecunda parte, ipſis addicta notantur, non ignorent, & indefeſſo animo perficiant: ſuis ſolitis non priventur juribus, & in Cathedralis Choro, quoties extant ad ſuum munus expoſiti, ut præſentes cenſeantur; Quin etiam ab hebdomada Capparum excipiantur, & à gyro canentium Epiſtolas, & Euangelia in Decanalibus Miſſis; cum ſæpiùs eve-

eveniat, pluribus eodem tempore urgentibus miniſteriis ſuum diſtinctim opus impendere. Suum erit ſingulis Dominicis feſta, & jejunia, ut ſuo loco diximus, infra hebdomadam incidentia, inter Miſſarum ſolemnia prænunciare.

DE SEMINARIO
Clericorum.

CAP. VIII.

OMnia, quæ de Seminario Clericorum Illuſtriſs. Præſules D. Franciſcus Gõzaga, in ſua primitus inſtitutione, juxta Decretum Sac. Conc. Trid. & D. Petrus Corſetto, in ejus poſtmodũ erectione latiori, cũ regulis, & conſtitutionibus præſcripſere, ab aliis noſtris Prædeceſſoribus prudenter confirmata, & à nobis recognita, æquè aſſeverantes, innovamus, quæ ſequuntur non prætereuntes ad ejus conſeruationem apponere. *Seſs. 23. c.18.*

Primò, ut Beneficiati omnes, qui tenentur, juxta prædictum Decretum, omneſque Eccleſiæ Urbis, & Diœceſis, taxam, ſibi præſcriptam, prò ejuſdem Seminarii ſubſtentatione contribuere, ſicut & nos ducentorum

aureo-

aureorum annuam tribuimus, eam promant, ſtatuto tempore perſolvendam, ſi idoneis juris remediis cogi diſſentiunt, & Eccleſiarum Rectores, ſi negligentes fuerint, aliter puniri, ſimul cum earum interdicto.

Ea propter noſtris Vicariis localibus neceſſariam facultatem impertimur, ut beneficiatos ipſos, & Eccleſiarum Rectores, vel Procuratores cogere queant, emolumenta ſequeſtrare, & auctoritate propria exigere; ſecùs ipſos noſtro arbitrio corrigemus, ſatis namque novimus in hoc, ob debiles prætextus, in Seminarii detrimentum neglexiſſe.

Verùm, cum ad noſtras aures pervenerit nonnullos Procuratores, feudorum Beneficialium conductores, & hujuſmodi Rectores, annuos Seminarii proventus, aut partē, penès ſe retinuiſſe ſolvendos, & ob incuriam, vel difficultatem, & itineris longitudinem, hujuſce Seminarii Procuratores non exegiſſe; ideò pœnam talibus excommunicationis latæ ſententiæ, ſi propediem eos ſolvi non curaverint, infligimus.

Filios honeſtorum parentum pauperum, in Alumnos aſſumendos, notos facimus, quod, ſi ad laicale ſtatū tranſierint, alimenta reſti-

reſtituere tenentur, quæ ad unceas duodecim pro ſingulis annis taxamus, & ubi opus videbitur, idonea cautela præveniat.

Nec ante duodecimũ cõpletum annum admitti, nec poſt decimum octavum in Seminario permanere, tùm Alumnos præfinimus, tum etiam Convictores, qui propriis ſumptibus, tertiatim anticipatò ſolvendis, aluntur; quos inquam Alumnos admittendos, primis grammaticæ rudimentis, & fidei instructos, examini coram nobis ſubjacere, nondum ante ingreſſum demandamus; verùm quolibet anno, ut quam ſpem progreſſus oſtenderint, cognoſcamus, & de meliori agendo conſulamus, ne incaſſum labor, & ſumptus impendantur.

Præter exercitia, propriis horis ordinata, juxtà ſuas regulas, quas, quoque menſe in Refectorio legendas, auribus, & mente percipiant; Feſtivis diebus in Choro horis canonicis, omni quà decet modeſtia, & ſilentio jubemus intereſſe, in reliquis obedientiam, & reverentiam Seminarii Miniſtris adhibeant, & præſtantiorem ſuo Rectori, qui eos paterna dilectione, & timore pariter proſequatur. Quod ſi fortè reſciverit quempiam graviter deliquiſſe, abſque

con-

conniventia corrigat, & ſi mulctatus non paruerit, facto nobiſcum verbo, elimine-tur, ne alios modeſtiores infeſtet, purioreſ-que commaculet.

DE SANCTIMONIALIBVS.

C A P. IX.

Cap. 6. PER *Hortum nucum*, quò deſcendit ſponſus in cantico, Sanctimonialium quodque cœnobium præfiguratum non incongruè perpendimus; Hortus ſunt quidem redolentibus floribus, & pomiferis arboribus conſiti, prudentibus nempè Virginibus, ſacris redimitis liliis, & virtutum pomis onuſtis, Verumtamen cum nucum denominatione; quia ſicut iſtarum medullæ tot ſeptæ corticibus, & velis implicatæ, vix è ſuo poſſunt enucleari putamine, ita & piæ Sanctimoniales, tot ſacris velis caſtitatis, & verecundiæ, intra clauſtrorum cortices, corpus, & mentem ſtrictiùs operiunt. Pro quarum ergo regimine omnia, in aliis præteritis Synodalibus conſtitutionibus, diſertiſſimè præſancita, comprobamus, & in obſervantiam revocamus, tantum ea, quæ ſequuntur aſtruentes. Pri-

Primò,omnibus, quorum interfuerit, id totis viribus inſulcimus, ut monacandarum puellarum voluntatem, ita ſolerter explorent, & perſcrutentur, ut verè poſſit non coactã ab humanis reſpectibus eſſe dignoſci;ſæpiùs etenim evenit, ut à parẽtibus,vel aliis conſanguineis non expreſsè cogi fateantur; apud eos tamen manducantes panem doloris, propemodũ compellantur, & malint in Monaſterio, perindè, ac in carcere perpetuò recludi. Vnde, verę religionis abſente fine, tot mala progrediuntur in diem. Illud igitur omnes animadvertant, quod ſi directè; vel indirectè puellas hujuſmodi coactione in clauſtris intercludunt, excommunicationem latæ ſententiæ per Sacros Canones incurrunt, ita & nos queis talis exploratio delegabitur, ſi in hoc aduertenter defecerint, pœnam excommunicationis pariter comminamur.

Nemo cujuſvis conditionis audeat ad colloquendum Monialibus adire, abſque noſtra, vel noſtri Vicarii Generalis licentia, & in Diœceſi Superiorum localium, & Viſitatorum (ſicubi fuerint)etiam ſi eæ novitiæ forent, vel educandæ, ſub pœna carceris ad noſtrum arbitrium, præter alias pœ-

nas à jure latas. Facultate autem exhibita, nunquam liceat per craticulas confeſſionis, vel Communionis, aut alias quaſcumque crates in Eccleſia verba fieri, neque per mulierum collocutoria, ſed per propria publica locutoria virorum, ubi, ſiquid obſcenum intererit, majorem excommunicationem importat: eamdem quoq; ſi per ſigna, vel literas turpia quæque deferantur, non exceptis nuntiis, & conſentientibus, latam incurrent.

Inſuper nihil extrahi, vel introduci per communionis oſtiolum, præter Sanctiſs. Euchariſtiam, indulgemus, tametſi pro ſervitio Altaris eſſet, ſed ſemper obſeratum maneat, & ejus clavis, ſicut & confeſſionalium penès Abbatiſſam ſerventur, & ubi uſus, utpotè opportunior perſeverat, per illud nonnunquam privatas conciones audire, alia verba minus attinentia nō intermiſceantur, ſub pœna excommunicationis, ſi pauca urbanitatis cauſa non eſſent, juxta Decr. Sac. Congr. 21. Martii 1678.

Confeſſarios Monialium quolibet triennio mutandos ſtatuimus, juxta Decr. Sacr. Congr. Anno 1605., niſi aliter nobis expedire viſum fuerit, & ubi plura Monaſteria

extant,

extant, quiſque in ſolo ſibi ſpecialiter aſſignato ea facultate potiatur, & non alibi, ſine præcipua permiſſione, non obſtante quacumque generali pro Monialibus habilitatione. Cum ad infirmas pro Sacramentis adminiſtrandis opus fuerit introire, cum duabus, ut moris eſt, Monialibus ad Cubile recto tramite procedant, & in confeſſionibus audiẽdis in loco ſemper reſideant, oculis aliarum Monialium patente, non tamen auditui, quæ omnia, ſub excommunicationis pœna, controvenientibus indicimus.

Poſtremò Moniales ipſæ profeſſionis votorum perpensè ſatagant, mutuo afficiantur caſto amore, pacatè vivant, diſſidia propellant, odia procul, & caveant omnimodè vocem extollere, laicorum auribus interdum ſtrepitoſis clamoribus reſonantem, ſi graviter puniri recuſant; quod ſi ſuadente diabolo, inter ſe procaciter convitiari contigerit, vel percuti, privatione veli per annum mulctentur, prætèr alias à jure inflictas pœnas, quarum abſolutionem nobis perpetuò reſervamus.

Verùm circa votum paupertatis, illud Monialibus permittimus, ne in peccatis ir-

Digitized by Google

retitæ vivant, ſibi ipſis vincibiliter blandientes, nempe ut in Monaſteriis, ubi vera communitas pro temporum calamitate ſervari nequit, poſſe tantum, quod fas eſt pro ſuo uſu tenere, & quod labore manuum ſuarum eliciunt, videlicet lacinias, acupicta, & id genus ſibi ipſis pro neceſſario attribuere, ad nutum tamen Superioris amovibile, ſed ut tutius procedant, ſcrupulorum exortes, unaquæque iuxta ſuam neceſſitatem à nobis licitum expoſtulet, ut quæ ſunt moderanda moderemus, & illicita removeamus.

Quæ de Monialibus in hoc Capitulo diſpoſuimus, in aliis religioſis domibus, vel conſervatoriis, regulariter ſervanda præfinimus.

DE REGVLARIBVS.

C A P. X.

PRo Regularibus nihil aliud recenſere ſtatuimus, quam eos adhortari, ne iis, quæ per has noſtras Conſtitutiones ipſis limitata, vel vetita comperiuntur, quæque à Sacr. Con. Trid. & aliis Sacr. Cong. Decretis

tis adhuc æditis, ad nos pertinere præſcri-
buntur, offendant, à noſtris correctionibus
non exempti. Verum quia notum habui-
mus nōnullos alicubi Regulares fideicom-
miſſiones legatorum piorum, & teſtamen-
tarias exequutiones aſſumere, imò plura
onera Miſſarum, quarum numero ſatisfa-
cere nequeunt ſine magna benefactorum
voluntatis retardatione, ideo ipſis denuò in-
dicimus meminiſſe, quod pro primis, nobis
rationem reddere obligantur, & ſi perperam
egerint, poſſint à nobis pleno jure puniri. Et
pro Miſſarum quantitate, Bullam Urb. VIII.
de celebratione Miſſarum, quam bis in an-
no legere tenentur, non dediſcant, & maxi-
mas pœnas pro non obſervantibus eam, ibi-
dem inflictas: Item benedictiones facere,
quæ ad Parochos ſpectant, & hæc ſui juris
non eſſe ſciant, in reliquis extra ſuos limites
pedem ponere non audeant.

DE FORO EPISCOPALI, eiuſque Miniſtris.

CAP. XI.

NOſtrū Epiſcopale Tribunal pro qui-
busq; Curiæ negotiis, diſcriminibus,

& legi-

legibus explendis,tùm in ſpiritualibus, tùm in temporalibus; quæ iis ſæpiſſimè conne-ctuntur, conſtitutum; Miniſtri, qui componunt ſunt Vicarius Generalis, Judex Aſſor, Advocatus Fiſcalis, & Magiſter Notarius. Sed quoniam multa in hac noſtra Synodo propoſuimus præcedenti Illuſtriſs. de Orlando, brevitatis intento fine, referri; identidem pro Judiciali foro, qualiter quiſque Miniſtrorum ſuo muneri ſatisfaciat, recenſemus; illud in præſentibus inculcantes; ut juſtitiam ſectentur; quæ eſt conſtans, & perpetua voluntas, jus ſuum unicuique tribuens, eamque præ oculis habeant, ut in lo-
Eccleſ.3. co judicii impietatem (ut Eccl. vidit) & in loco juſtitiæ iniquitatem, pedem ponere non conſentiant. Idcircò, ut lex Domini immaculata in noſtro Tribunali præſideat, & in forenſibus cauſis mundano pulvere non ſordeſcat, poſt hæc volumus in noſtra Curia Taxam Innocentianam, ad mentem Sac. Conc. Trid. à fel. record. Innocentio XI. indictam, inviolabiliter ſervari, & ne illius ignorantia valeat quiſque tutari, illam non dum in calcē hujus Synodi adſcribendam, ſed in noſtra Cancellaria patenter exhibendam decernimus. Quia verò in dicta Taxa

uſuvenit noſtræ non corriſpondere, aliam indimus in noſtraCuria verſatam;ita tamen, ut ubi Taxa Innocentiana noſtram excedit, hæc inferior ſervetur ; & ubi illa minor eſt, ſemper hæc minor in praxim redigatur: ſimiliter, quia Taxa prædicta non omnia cōplectitur, præſertim de juribus, pro cauſis profanis ad Curiam ſpectantibus; ea propter in ipſis jura exigantur, juxta Pandectas hujus Siciliæ Regni, & omnem turpis lucri labem fugiant, & fortiùs ſuſpecta munera peſſundent, quæ multos ab æquitate detrahunt, juxta illud Pſalmi: *In quorum manibus iniquitates ſunt: dextera eorum repleta eſt muneribus.*

Vicarius itaque Generalis, qui noſtram authoritatem gerit, unà cum Judice Aſſeſſore, ſollicitam curam ducant, ut cauſæ quā citiùs expediantur, & præſertim miſerabilium perſonarum, quinimò ope deſtitutis, juſtitia gratis adminiſtretur, ut in noſtra ipſamet Curia laudabilis conſuetudo perſeverat: Tot litigantium cavillationes, Rabularumque technas audacter refellant, & ubi quid dubium in cauſis non agnoverint, confeſtim de juſtitia, ſine perſonarum reſpectu provideant, ut litigantium non dila-

tis

tis judiciis, expenſarum queſtûs amoveantur: Audientiam ſtatis horis accurrentibus non denegent: Carceres viſitent, & quæcumque in præſenti Synodo præſcribuntur, executioni mandari non deſideant: ſtrepitus quoque judiciales in diebus feriatis non admittant, niſi neceſſitate, vel pietate urgentibus, actuum enim nullitatem important.

Magiſter Notarius ſcripturas, & acta diligenter aſſervanda curet, & ea potiſſimum
1626. quæ per Sac. Congr. Decretum, & in præcitata Synodo deſcribuntur, & ex eis cuivis non niſi coram ſe legendum, aliquid tradere confidat; Advocatis tamen liceat, facta prius apoca de recepto, & ſibi iterum reſtitui non retardet, ſi condignas pœnas renuit incurrere.

DE VICARIIS FORANEIS.

C A P. XII.

Vicarii Foranei, ſicut in Diœceſi noſtras vices, tùm in Spiritualibus, tùm in Temporalibus portant, ita munere nobis impoſito ſuos quoque humeros reſpectivè gravatos habere meminerint, potiùs ad onera,

nera; quàm ad honorem aſſumpti: Altiori namque Superiores prꝗſident gradu, ut cunctorum veluti ſpeculatores vitam, & mores proſpiciant, & cuſtodiant: Animadvertant igitur ſuorum quique populorum majori probitatis, quàm auctoritatis robore ſuſtinere, & exemplo magis eminere, quàm gradu. Quæ in Conſtitutionibus Illuſtriſs. de Orlando pro ſuo munere, & in his noſtris ſparſim addicũtur præ oculis habeant, crebrò perlegant, & ſervanda curent: Pro ſacrarum rerum, & locorum nitore pervigilent: In Sacramentorum, Sacramentaliũque miniſtros, ſi ſuo penſui rectè ſatisfaciant, & noſtris Conſtitutionibus conformati, ſuperintendant, & ſi, qui defecerint, correctionibus non aſſenſerint, abſque perſonarum exceptione nos de eorum contumacia certos faciant: ita etiam ſi quæ delicta, vel inconvenientia occurrerint, ad noſtram M. E. C. notitiam transferant: Jura Curiæ ſecundum taxam eis addictam exigant, in calce Synodi appoſitam: Suæ Juriſdictionis limites non excedant: & in reliquis non minorem ipſi prę aliis obſervantiam præſeferant, condignæ correctionis arbitrio ſubjecti.

DE EXAMINATORIBUS Synodalibus.

CAP. XIII.

Seſſ.24. cap. 12. EXaminatores juxta Conc. Trid. Decretum à nobis proponendi, & à Synodo approbandi, ſequentes eliguntur, & conſtituuntur.

Admodum Rev. Vicarius Generalis V.I.D. D. Paulus Signorino Archidiaconus, & Secunda Dignitas.

Adm. Rev. D. Ioannes Becoecea hujus Cathedralis Decanus, & Prima Dignitas.

Adm. Rev. V.I.D. D. Petrus Antonius Forti, & Spinola Cantor, & Tertia Dignitas.

Ad. Rev. Abbas S.T. D. D. Ioſeph Petarra, Præbēda Theologali inſignitus, & Quarta Dignitas.

Adm. Rev. S.T.D. D. Bartholomæus Combi Canonicus, Beneficialis S. Mariæ de Monte Carmelo.

Adm. Rev. D. Nicolaus Bonafide Canonicus.

Rev. S.T. & U.I.D. D. Paulus Orioles Aſſeſſor, & hujus Seminarii Rector.

Rev. D. Roſarius Combi Præbendatus noſter, Cæremoniarum Magiſter.

Adm. Rev. Pater Mag. Fr. Dominicus Majo Ord. Prædicatorum.

Adm. Rev. Fr. Ioannes Franciſcus de Neapoli Lector, & Prædicator Ord. Min. Obſ.

DE IVDICIBVS SYNODALIBVS.

CAP. XIV.

IVdices per ejuſdem Conc. Trid. Decretum pro cauſis Spiritualibus deſignandos, qui etiam per Gregorium XV. pro cauſis Regularium Iudices Conſervatores deputantur, cum eſſe debeant in dignitate conſtituti, juxta Bonifacii VIII. Sanctionem, Omnes Capitulares noſtros, Dignitates nimirùm, & Canonicos ſtatuimus, & deputamus.

Seſ. 25. de ref. c. 10.

1621.

in 6. tit. de reſcr.

DE SYNODI CONCLVSIONE, & Obſervantia.

CAP. VLTIMVM.

COnſtitutionum noſtrarum, præbito Dei ſummi noſtrorum actuum moderatoris auxilio, finem attigimus PP. RR.

in quarum prima parte quidquid de Fidei professione, doctrina, & prædicatione ſervandum; De feſtis quoq; & ſacrificio Miſſæ; Quique ſacris Reliquiis, & Imaginibus, Sanctiſque delubris adhibendus ſit cultus, & reverentia, percepiſtis: Subſequentia itidem in ſecunda, quæ de Sacramentis fuere, & eorum ſingillatim debita pertractatione ſancita: Quibus acceſſerunt in tertia, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam, & ad ſacra obeunda miniſteria per diſtinctos gradus, & ad forum judiciale pertinent. Reliquum eſt, ut, ſicut eis veſtro repetito verbo, Placet, aſſenſi eſtis, ita in vim legis accipiatis, & in morem inducatis, ſicuti alias noſtrorum Prædeceſſorum, quas in ſuo robore reſtituimus; præter ea, quæ in præſentibus abrogamus; quemadmodum cenſuras, ſuſpenſiones, & pœnas omnes, per noſtra Edicta, & per ante actas Synodos inflictas, præter ea, quæ de jure ſunt, vigore præſentium diſſolvimus, & irritamus; eas tamen, quæ in his expreſsè non ſunt, controvenientibus imponendas, vel pecuniarias, piis operibus applicandas, noſtro arbitrio reſervamus; Attamen noſtram auctoritatem non reſtringimus, ſi, quatenus opus

requi-

requiſierit, eas corrigere, ampliare, vel explicare libuerit.

Quapropter volumus, & mandamus, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, ut ad altius poſt bimeſtre ab earum publicatione omnes afficiant, ac ſi ſingulis perſonaliter intimatæ forent, & nemo audeat, ſub pœnis, per Sacros Canones præfixis, & per nos etiam, earumdem obſervantiæ contrajre. Pro quibus omnibus Omnipotenti Deo, à quo bona cuncta procedunt, gratias agimus, & eas judicio Sanctæ Matris Eccleſię debita demiſſione ſubjicimus.

EXHOR-

Digitized by Google

EXHORTATIO ULTIMA

ILLVSTRISSIMI DOMINI

In fine Synodi.

Ex Pont. Rom.

FRatres dilectiſſimi, & Sacerdotes Domini, qui cooperatores Ordinis noſtri eſtis: Nos quamvis indigni, & meritis omninò imparibus locum Aaron tenemus; Vos autem Eleazari, & Itamari. Nos vice duodecim Apoſtolorum fungimur: Vos ad formam ſeptuaginta duorum diſcipulorum eſtis. Nos Paſtor veſter ſumus; Vos autem Paſtores animarum vobis commiſſarum, pro quibus, ſi neceſſitas urgeat, debetis & animam ponere; Nos de vobis in die ſtricti Iudicii rationem reddituri ſumus Summo Paſtori noſtro Domino Ieſu Chriſto. Vos pariter de plebibus vobis commendatis. Videte ergo in Domino dilectiſſimi periculum veſtrum, & diligenter ſatagite, ut veram, veſtrorumque æternam ſalutem per bona opera certam faciatis. Ad hunc ipſum finem admonemus fraternitatem veſtram, ut quæ pro noſtri muneris debito vobis in præſenti Synodo ſuggerere propoſuimus, & memoriæ commendetis, & opere exercere valeatis.

Obſer-

Obſecramus igitur Vos dilectiſſimi,ut dignè ambuletis, & vocatione, qua vocati eſtis. Nos dicimus, & teſtificamur in Domino, ut jam non ambuletis ſicut & Gentes ambulant, in vanitate ſenſus, tenebris obſcuratum habentes intellectum. Timete filii Deum, & ſervite ei ſincero corde, & perfecto. Exhibete corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Induite vos ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti viſcera miſericordię, benignitatē, humilitatem; patientiam, & quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, hæc cogitate, & agite; & ſi ſpiritu vivitis, ſpiritu & ambuletis. Sit vita, & converſatio veſtra ſancta, & irrepræhenſiblis: In domibus veſtris mulieres non cohabitare quantam diligentiam poteritis adhibete, & juxta Apoſtolum honeſtè ambuletis, non in comeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, laicales mores cum veſtibus exuentes: Negotia veſtra non uſuris, ſed animarum lucris exerceatis: Arma veſtra

ſtra

ſtra ſint ea, quæ vitam muniunt, orationes, & exempla: ludos, & otia fugite, ſanctis exercitiis tempus, quod breve eſt, & piis operibus redimentes. Satagite immaculati vivere, & inviolati inveniri, adeò ut nec turpitudo, aut ſcurrilitas, aut ſtultiloquium nominetur in vobis: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt; Eſtote bonus odor Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei, providentes bona, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus: Curam pauperum, viduarum, orphanorum, & peregrinorum, & præſertim neophitorum habete: Hoſpitales eſtote, aliis exinde bonum exemplum præbentes. Rogamus etiam vos in Domino, ut divinas laudes, & ſolemnes Miſſas devotè, & modeſtè recitetis, atque canatis: Subſellia in Choro plena ſint concurrentibus, & felici invidia jubilate Deo in voce exultationis: Pſalteria ſint præ manibus, Pſalmi in labiis, in corde devotio: Senes ſenectutis obliti adſtent vigiliis ſacris juvenili alacritate, & juvenes juventute ſepulta, ſenilis gravitate reverentiæ, divinitati aſſiſtant. Corpus, & ſanguinem Domini noſtri

Ieſu

Ieſu Chriſti cum omni reverentia, & tremore ſumite: Miſſas devotè celebrate, & quæ in eis ſunt, verba, ritus, & cæremonias clarè, & attentè perſolvite: Ita & ſupellectilia, veſtes, & vaſa ſacra majori, quo poterunt, nitore, & munditia fulgeant; nihil enim vile, & ſordidum in Sacerdotum ore, & opere debet apparere, dum rem ſanctam pertractant. In Eccleſiis veſtris decens ornatus, & munditia etiam ſplendeat: In fontibus baptiſmalibus præcipua cura; in Atriis cuſtodia, in ſacris actionibus devotio, in Sacriſtiis ſilentium, & in omnibus reverentia, ſicut domum Dei decet ſanctitudo.

Cappellani Sacramentarii, Vicarii, & Curati omnes, infirmos viſitare, & illos Sacramentis ſalutis in gratiam reſtituere, ut ſuum proprium munus agnoſcant, ſine quibus caveant aliquem pro ſua negligentia perire. Unuſquiſque veſtrum in omnibus vigilet, & laboret, miniſterium ſuum impleat, & quantum ſapit, & valet, opus faciat Evangeliſtæ, populos ſuos diebus ſaltem feſtivis, ſpiritualis doctrinæ pabulo nutriat: Quos etiam exhortamini, & præcipuè ruſticanos, ut talibs diebus ad Miſſam accedant, & ab operibus ſervilibus abſtineant:

Quæ credenda ſunt, agenda, & ſperanda inſinuate: Quando, & quomodo ſint ſervanda jejunia nuntiate: Ad confeſſiones, & potiſſimum in ſolemnioribus anni feſtivitatibus invitate, qui ſint actus pœnitentis, & eorum praxim docentes, & confeſſis, juxta criminum qualitatem, ſalutarem pœnitentiam injungite. Videte ne de vobis dicatur; *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*; Hæc enim omnia veſtra ipſa dignitas exigit, & veſtrorum reſpective pondus officiorum importat.

Super omnia autem enixè vos omnes rogamus, ut diligatis invicem, non lingua, neque verbo, ſed opere, & veritate; Præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit; qui enim diligit proximum, legem implevit, plenitudo namque legis eſt dilectio. Sit ergo inter vos dilectio ſine æmulatione, charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes, & ſub veſte conſimili cor varium non abſcondatur, & per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti iterum, atque iterum obſecramus, ut non ſint in vobis ſchiſmata, ſed Pax Chriſti, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto

Ieſu

Ieſu, & Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris: Charitas veſtra magis, ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu, ut probetis potiora, & ſitis ſinceri.

Cæterum toto corde, & animo rogamus vos dilectiſſimi, ut imbecillitatis noſtræ memoriam recolatis in Domino, gratias agentes Deo, ſi quid in vobis boni fuerimus operati, illiq; offerẽtes ſingula, in quibus ex humana fragilitate defecerimus. Amantiſſimi æquè, ac dilectiſſimi filii, ſi quo erga cõmunem, licèt immeritum, Patrem, & Paſtorem veſtrum, polletis affectu, veſtris nos precibus ad Deo ſatisfaciendum juvate, & commiſſa per nos in vos metipſos, quotquot vel juſti cenſores notaſtis, vel compaſſiva teneri dilectione diſſimulaſtis piacula, charitate veſtra delete; Proderit hoc vobis filialis pietatis veſtræ diſpendium, quo noſtra apud Deum juvabitur cauſa, proderit & vobis, qui virtutum in nobis defectum virtute veſtra ſupplentes, id vobis vindicabitis meriti, quod nos lucrari, vel non voluimus, vel neſciuimus. Virium noſtrarum exilitatem, neque occultamus, neque excuſamus, & ſi quid in nobis, quod oculos veſtros offenderit, defectus conſpe-

xiſtis, benigna longanimitate ignoſcatis, cum, plurimorum quidem hominis delictorum nobis remordente conſcientiam, Epiſcopatum tamen noſtrum ſcienter polluiſſe, aut aliquem ſpontè, & deliberatò læſiſſe, aut paternum amorem ſubtraxiſſe; (abſit ſinceritatis verbo jactantia) nec nos angat conſcientia, nec urgeat ſuſpicio. Scitis enim à prima die, qua ingreſſi ſumus in hoc angelicis humeris formidandum ſalutis veſtræ miniſterium, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerimus, teſtiſque cordium ſcrutator eſt Deus, qualiter vos omnes in corde noſtro geſſerimus, in laboribus plurimis, in vigiliis ſupramodum, qualibus vos viſceribus dilexerimus: Quali denique Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum Privilegia, Immunitates, & Jura, apud ſæcularium defenderimus Tribunalia, nec laboribus, nec propriis expenſis parcentes: Juſti in hoc ſitis nobis, qui juſtitiam veſtram ſubſtinuiſſe, non ad objiciendum commemoramus, ſed ad reciprocum ſolamen coram vobiſmetipſis ſcientibus, & expertis referimus. Id autem humilitati noſtræ perpetuæ erit conſolationis, quòd non ſubterfugimus, quominùs annunciaremus omne

con-

conſilium Dei vobis, id unum cordibus veſtris, & auribus ingerentes, quantum potuimus, ut attenderetis pactum, quod ſpopondiſtis; ac æternitatis negotium in Divinæ legis obſeruantiam ageretis: Pauperes, quantum licuit, ſuſcepimus: Miſericordiam, Deo adjuvante, non denegavimus: Juſtitiam, ubi cognovimus, non pervertimus: à nullo veſtrum quidquam concupivimus: nil à vobis exegimus: Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus; ipſi ſcitis. Abominationem deſolationis, ubi reperire contigit (in confuſionem dicimus) forti animo deſtruere conati ſumus, & ſordeſcentia alicubi de humano pulvere Sacerdotum, Clericorum, & Laicorum corda, precibus, lacrimis, hortationibus, minis, & pœnis, nec utili ſpreto, nec dulci detento, expurgare curavimus, non ceſſantes diù, noctùque dilectam Sponſam noſtram, noſtroſque cariſſimos in Domino filios ſuo Auctori Deo commendare, qui potens eſt ædificare, & dare hæreditatem in ſanctificatis omnibus. A vobis ipſis, quibus non plenè profuimus in hujus Sanctæ Synodi cõſummatione humiliter imploramus, ut coram Deo, & Chriſto ejus

per

per bona opera veſtra, quorum participes eſſe rogamus, fiducialiter ſtantes, quam ab ejus clementia, & charitate veſtra ueniam ſuppliciter petimus, impetretis; cœleſtia autem cuncta inuocantes, de rore cœli, & de pinguedine terræ benedictiones implorantes, & cordis intimo poſcimus, ut benedicat uos Diuina Majeſtas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

F I N I S.

Acta ſunt hæc Cephaludi in Eccl. Cathredr. plena Synodo congregata in loco ſolito, tribus diebus. Die Martis 30. Novembr. Feſto S. Andreæ Apoſt., Die Iovis 2. Decembr. & Die Dom. 5. Decemb. 1706. Ind. xv.

PA-

PATRES QVI INTERFVERE HVIC Synodo, & ſe ſubſcripſere.

D. Ioannes Becoechea Decanus pro toto Capitulo.

D. Vincentius Giuffrida Abbas Sancti Lucæ Terræ Pettinei.

S. T. D. D. Ioſeph Pitarra quarta Dignitas, Abbas S. Mariæ de Vocanti.

D. Ioannes Maria Faua Parochus, ſiue Cappellanus Eccleſiæ Cathedralis Cephaludenſis

D. Franciſcus Ceſalù, & Roſſino Communerius pro toto Clero Cephaludenſi.

Fr. D. Hiacynthus Signorino Vicarius Ciuitatis Politii.

V. I. D. D. Roſarius Tedeſchi Prot. Apoſt. & Vicarius Terræ Tuſæ.

Abbas D. Vincentius Giuffrida Vicarius Terræ Pettinei.

D. Ioſeph Cipolla Vicar. Terræ Caltauturi.

S. T. D. D. Ioſeph Ortolano Vicarius Terræ Sclafani.

D. Antoninus Pugliſi Vicarius Terræ Isnelli.

D. Petrus Cangeloſi Vicar. Terræ Pollinæ.

D. An-

D, Antoninus lo Monaco Vic. Terræ Mottæ di Fermo.

D. Bartholomæus Bellhomo Vicar. Terræ Gratterii.

D. Iſidorus de Franco Vicarius Terræ Caſtellutii.

Abbas D.Ioannes Vocalino Vicarius Terræ Reggitani.

D. Gandolphus Ciambri Vicar: Terræ Vallis Vlmi.

S. T. D.D. Franciſcus Giallumbardo Parochus, Beneficialis, & Vicarius Terræ Vallislongæ.

D.Stephanus Cancilleri Vicarius Terrę Roccellæ.

D. Bartholomæus Rè Parochus, ſivè Cappellanus Terræ Laſcaris.

D. Ioſeph de Flore Parochus S. Vrſulæ Civitatis Politii.

S.T.D. D.Philippus Cardona Parochus Venerabilis Eccleſiæ S. Ioannis Baptiſtæ Civitatis Politii.

D. Franciſcus Cefalù, & Roffino Procurator Abbatis Montis Majoris.

D. Antoninus lo Monaco Procurator Abbatis S. Mariæ de Spatto Terræ Mottæ di Fermo.

S.T.D.

S. T. D. D. Ioſephus Vittimara Procurator Vicarii Civitatis Miſtrectæ.

D. Ioannes Porcelli Procurator Vicarii Terræ Colleſani.

S. T. D. D. Michael Provinzale Procurator Vicarii Terræ S. Stephani.

D.Caetanus Paci Procurator Vicarii Terræ Montismajoris.

D.Ignatius Gullo Procurator Vicarii Terræ Aliæ.

D.Dominicus de Blanca Procurator Vicarii Terræ Xillati.

D.Ioſephus Provinzale Procurator Cleri Civitatis Miſtrectæ.

D.Vincentius Iannitelli Communerius Cleri Civitatis Politii.

D.Ioannes Pecorelli Procurator Cleri Terræ Colleſani.

D.Thomas Giangallo Procurator Cleri Terræ Tuſæ.

S.T.D. D.Didacus Roſſelli Procurator Terræ Caltauturi.

S.T.D. D.Ioſeph Ortolano Procurator Cleri Terræ Sclafani.

D. Marius Gaita Communerius Terræ Isnelli.

D. Dominicus Guarneri Procur. Cleri Terræ Pollinæ.

D. Franciſcus Leji Procurator Cleri Mottæ de Fermo.

D. Bartholomæus de Maria Procur. Cleri Terræ Gratterii.

D. Blaſius de Amato Communerius Cleri Terræ Caſtellutii.

D. Ioſeph Campo Procurator Cleri Terræ Reggitani.

D. Silveſter de Franciſca Communerius Terræ S. Stephani.

D. Caetanus Paci Communerius Cleri Terræ Montismajoris.

D. Ignatius Gullo Procurator Cleri Terræ Aliæ.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

CAPITUM,

Quæ in hac Synodo continentur.

IN PRIMA PARTE.

DE Fidei Profeſſione, & à quibus emittenda. Cap. Primum fol. 13.
De Doctrina Chriſtiana. Cap. Sec. fol. 19.
De Sacris Concionatoribus. Cap. Ter. fol. 23.
De Feſtorum obſervantia Cap. Quar. fol. 25.
De Sacroſ. Sacrificio Miſſæ Cap. Quin. fol. 28.
De Sacris Reliq. & Imag. Cap. Sext. fol. 32.
De Sacroſanctis Eccleſiis. Cap. Sep. fol. 35.

IN SECVNDA PARTE.

DE Sacramentorum adminiſtratione. Cap. Primum fol. 41.
De Sacramento Baptiſmatis. Cap. Sec. fol. 43.
De Sacramento Confirmat. Cap. Tert. fol. 46.
De Sanctiſs. Euch. Sacram. Cap. Quar. fol. 47.
De Sacram. Pænitentiæ. Cap. Quint. fol. 52.
De Sacram. Extremæ Vnct. Cap. Sext. fol. 55.
De Sacram. Ord. Cap. Sep. fol. 57.
De Titulo Ordinand. Cap. Oct. fol. 62.

De

Digitized by Google

De Sacram. Matrim. Caput. Non: fol.66.

IN TERTIA PARTE.

DE Vita, & Honeſtate Clericorum. Cap. Primun fol.70.
De Div. Offic. & Choro. Cap. Sec. fol.77.
De Proceſſionibus. Cap. Tert. fol.81.
De Capitularibus. Cap. Quart. fol.82.
De Magiſtris Cærem. Cap. Quint. fol.87.
De Commun. & Procur. Caput Sext. fol.89.
De Cappellanis. Cap. Septimum fol.92.
De Seminario Cleric. Cap. Octa. fol.93.
De Sanctimonialibus. Cap. Nonum fol.96.
De Regularibus. Cap. Decimum fol.100.
De Foro Epiſcop. eiuſq; Min. Cap. Vnd. fol.101.
De Vicariis Foraneis. Cap. Duod. fol.104.
De Examinatoribus Synod. Cap. Decimumtertium. fol.106.
De Iudicibus Synodalibus. Cap. Decimumquartum fol.107.
De Synodi Concluſione, & Obſervantia, Cap. Vltimum fol. 107.
Exhortatio ultima Illuſtriſs. Dom. fol. 110.

TAS-

TASSA INNOCENZIANA

Del foro Eccleſiaſtico nelle materie Spirituali, ò vero dichiarationi ſopra quelle Cauſe, e materie Eccleſiaſtiche, e Spirituali, nelle quali nel Foro Eccleſiaſtico, & Epiſcopale non ſi può, ne ſi deve eſiggere emolumento alcuno, eccetto quello, che ſi dichiara per il ſolo Cancelliero, con la riforma degli abuſi contrarii.

ESSENDOSI havuto ricorſo alla Santità di Noſtro Signore Innocenzo XI. per molti Veſcovi, & Arciveſcovi, & altri Prelati zelanti, acciò per ſicurezza della loro conſcienza, per togliere ogni occaſione di dubio, che poteſſe naſcere dalle diverſe conſuetudini delle Dioceſi, & anche acciò non ſiano ingannati da loro Vicarii, Cancellieri, & altri Miniſtri, e Famigliari, ſi ſtabiliſca una taſſa generale, & uniforme, per il foro Epiſcopale, ò vero Eccleſiaſtico, ne mancando i ricorſi de Cleri, e de Popoli, ha perciò la Santità ſua deputato una Congregatione particolare di due Signori Cardinali Prefetti delle Congregationi del Cõcilio, e de' Veſcovi, e di quattro altri Signori Cardinali delle medeſime Congregationi, e di due Monſignori loro Segretarii, e delli Monſignori Datario, & Auditori della Santità ſua, e da queſta ſi è riſoluto nõ poterſi nelle cauſe contentioſe civili, criminali, e miſte venire alla ſudetta Taſſa generale ſenza la precedente notizia delle Taſſe particolari di ciaſcheduna Dioceſi, ò Provincia, potendo giuridicamente quella eſſer varia, ſecondo la diverſa conſuetudine regolata dalla diverſità de Paeſi, e de luoghi. Bensì doverſi con qualche maggior chiarezza, per togliere tutti i dubbii, e gli equivoci, dar fuori le dichiarazioni, che in più tempi, e diverſe occaſioni ſi ſon fatte dalle Sacre Congregationi del Concilio, e de' Veſcovi nelle ma-

